MEDITATIONES HISTORICÆ CANONICO - CRITICÆ

AD

PRIMA QUATUOR IN ORIENTE HABITA UNIVERSALIS ECCLESIÆ CONCILIA OECUMENICA.

CONCILIUM NICÆNUM I, GENERALE I.

§. I.

ARIUS, inquit *Synodus General. VI. Act. XVIII.*, *divisor*, & *partitor Trinitatis insurgebat*, & *continuo Constantinus semper Augustus*, (a), & *Sylvester laudabilis* (b), *magnam*, *atque insignem in Nicæa Synodum congregabant*; Anno scilicet Ae. V. CCCXXV., *Sylvestri XII.*, *Constantini Imp. XX.*, *Paulino*, & *Juliano Coss.* Aliæ celebrandi Concilii causæ erant, tempus agendi paschatis, contra *Quartodecimanos* (quos minis antea terruit, a communione non præcidit *Victor I.*) & componendum schisma *Meletii. Trecenti decem & octo Episcopi convenerant*, ait *Theodoret. L. I. H. E. C. 6.*, *Romanus autem propter summam senectutem*, *ipse quidem non adfuit*, *sed presbyteros duos misit*, *cum potestate actis assentiendi.* (c) Fuerunt illi *Vitus*, & *Vincentius*, qui nomine & vice *Sylvestri* Synodo præfuerunt.

(a) Non utique potestate Regiminis Synodum hanc congregari jussit *Constantinus*, sed mera duntaxat potestate præsidii, atque ex Sacerdotum consensu. *Sermo Arianæ hæresis*, ait *Rufin. L. I. H. E. C. 1.*, *usque ad aures religiosi principis*, *quippe qui omni studio*, & *diligentia*, *quæ nostra sunt curaret*, *pervenit. Tum ille ex Sacerdotum Sententia*, *apud urbem Nicæam Episcopale Concilium convocat.* Si ergo ex Sacerdotum Sententia Nicænam Synodum convocaverit Imperator, id vel maxime ex Sententia, & consensu præstitit *Sylvestri.*

(b) *Gene-*

(b) *Generalium* quippe *Synodorum convocandarum authoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio tradita est*, quemadmodum nemine Episcoporum reclamante, *Epist.* 8. scribit *Pelagius II.* Neque jus hoc tacito tandem Principum. & Ecclesiæ consensu, in Romanum Pontificem translatum fuit, sed ad primigenia Primatus jura pertinere dignoscitur. Unde convocatio Synodi cujusdam Oecumenicæ, hinc inde, ut fertur, ab Imperatore facta, jus illud, & Authoritatem Pontificis nequaquam imminuit, eoquod vel consentiente Papa eam indixerit Imperator, vel illam hoc modo convocatam, ratam habuerit Pontifex. Neque etiam *ad potentiam ostendendam*, sed *ad fidem confirmandam*, Synodos ejusmodi, congregarunt Augusti Principes.

(c) En! & ad Papam spectat, Concilio Oecumenico vel per se, vel per legatos præsidere! Vi hujus autem juris præsidendi competit pariter Summo Pontifici potestas dirigendi omnia, proponendi necessaria rerum capita, præscribendi rerum tractandarum ordinem, dandique suffragium primum, & quasi informativum, salvo jure Episcoporum decisivo, salvaque facultate Summi Pontificis, Synodos ejusmodi confirmandi.

§. II.

Cum in unum convenissent Episcopi, priusquam dies decisionibus destinata advenisset, *interea assidue convenientes*, *Ario in medium adducto*, *assertiones ejus summa diligentia examinabant*; *cavebant autem sollicite*, *ne in alterutram partem temere sententiam promerent.* (a) *Sozom. L. I. H. E. C.* 19. Venit & Imperator Nicæam, *tum Episcoporum coetum videre*, *tum eos inter se conciliare desiderans*, ut scribit *Theodoret. L. I. H. E. C.* 7. Die vero sequenti, qui finiendis controversiis præstitutus fuerat, *postquam universa Synodus*, teste *Eusebio L. III.* De vita Constantin., *cum decenti modestia resedit*, *omnes primum conticuere*, *Imperatoris processum exspectantes. . . Imperator ingreditur*, *non stipatus militibus sed ex amicis*, *iis solis*, *qui fidem Christi profitebantur*, *totus auro & gemmis coruscans. Quod vero ad animam spectat*, *satis apparebat eum timore Dei*, *ac Religione decoratum esse*, *atque id indicabant oculi demissi*, *rubor in vultu*, *motus corporis*, *atque incessus. Positaque ante eum humili sella*, *ex auro fabricata*, *non prius assedit*, *quam Episcopi ei annuissent. Tum ex Episcopis*, pergit *Eusebius C.* 11., *is*, *qui in dextra parte primum locum obtinebat*, *consurgens*, *modica oratione Imperatorem allocutus est*, *propter illum gratias*, *& laudes perhibens omnipotenti Deo.* Discursu finito *Constantinus Lætis oculis*, *& placido vultu universos intuitus*, *ac deinde mentem suam in se colligens*, *leni & moderata voce verba fecit. Intestina*, ait apud *Eusebium*

C. 12.

C. 12., seditio Ecclesiæ Dei, mihi quidem omni bello, & concertatione gravior, ac periculosior videtur, nec externæ res tantum animo meo dolorem adferunt, quantum hæc negotia. Date igitur, pergit Augustus, *operam, o Charissimi Dei Ministri! .... ut sublatis quam primum mutuæ dissensionis causis, omnes controversiarum nodos pacis legibus sine ulla mora dissolvatis. Cum igitur de pace & concordia abunde disseruisset, deinceps ut de Religionis nostræ dogmatibus accuratius disquirerent, eorum arbitrio, potestatique permisit.* (b) *Socrates L. I. C.* 8. Condidit laudata Synodus Symbolum, seu formulam fidei, cui, velut & damnationi *Arii*, subscripserunt etiam *Eusebius Nicomediensis*, *Theognis Nicænus*, aliique partium Arianarum Episcopi. *Controversia de fide sublata*, ut ait *Sozomen L. I. C.* 20. *Concilio visum est, ut omnes diem festum Pascbatis uno, eodemque tempore*, Die nempe Dominica, quæ lunam quartam decimam proxime sequitur, *celebrarent.* Decisa denique tertia quæstio, statutumque, ut retento Episcopi nomine, abstineret omni Episcopali munere *Meletius.* Additi fuere XX. Canones. (c)

(a) En! modum & normam celebrandæ Synodi! En formam judicii ecclesiastici! Non passio, non affectus, non caro & sanguis dominantur, sed charitas, & discretio. Non tumultuarie res agitur, non via facti proceditur, sed cuncta ex ordine, pie, sobrie, prudenter geruntur. Neque, cum *promtiora sint jura ad absolvendum, quam ad condemnandum*, reus inauditus damnatur. Et quale, quamque immane exinde orbi christiano dedecus, si nullitate insanabili laboraret Generalis Synodi processus? Calumniantur equidem Sectarii, secessisse ab hac via, sequioris ævi Concilia; dicunt autem, non probant.

(a) En! ideam religiosi principis! Noverat quippe, *Mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum, actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia utriusque potestatis discrevisse.* Noverat, id quod ad *Synodum Ephesinam* perscripsere postmodum *Theodosius*, & *Valentinianus*, *nefas* esse, *qui sanctorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis, & consultationibus se immiscere.*

(c) Sed continentiam ab uxoribus ante sacram ordinationem ductis, non præcipit *Canon. III.*, *subintroductam habere mulierem* clero prohibens; quid quid demum ejus temporis Episcopi, Presbyteri, & Diaconi perpetuam continentiam servaverint ex Ecclesiæ disciplina, diuturno, & ab Apostolicis temporibus derivato usu firmatam, quam *Siricius*, aliique dein Pontifices, & Concilia decretis suis, atque canonibus roborarunt. *Canone* autem *VI. Alexandrinus* Episcopus cum *Romano* solum componitur quoad jura Patriarchicæ dignitatis. Nullatenus igitur hoc canone Primatus Rom. Pontificis destruitur: imo neque Patriarchalis illius Authoritas intra suburbicarias Ecclesias, citato canone coarctata fuit.

§. III.

Absolutum fuit Concilium eodem Anno XX. *Constantini*, atque *impio* Ario *ab Ecclesia exturbato, fidei formula, quæ adhuc in Ecclesiis servatur, communi consensu composita, & subscriptionibus omnium firmata, Concilium*, ait *Theodoret. L. I. H. E. C. 7. dimissum est.* Acta Synodi, Patres Nicæni per epistolam synodicam perscripserunt ad Ecclesiam Alexandrinam. *Primum*, ajunt apud *Socratem L. I. C. 6.*, *impia & perversa dogmata Arii, eorumque, qui ejus sectam sequuntur, coram sanctissimo Imp. Constantino perquisita sunt; unde placuit Concilio communibus suffragiis anathema denuntiare ejus nefariæ opinioni, & verbis, sententiisque execrabilibus, quibus usus est ad filium Dei blasphemiis afficiendum: nimirum eum ex nihilo ortum esse, nec fuisse, antequam natus esset &c.; quibus omnibus S. Concilium dicit anathema.* Rogant præterea *Sylvestrum*, ut definitione sua Synodum confirmet. (a) *Censeat*, ajunt, *vestra Apostolica doctrina Episcopos totius vestræ Apostolicæ urbis in unum convenire, vestrumque habere Concilium, & sicut docet mystica veritas, confirmet nostra sancita.* (b) Quare coacto 275. Patrum ex Italia, vicinisque provinciis Romæ Concilio, *Sylvester Episcopus Sanctæ & Apostolicæ Sedis, præsul urbis Romæ dixit: quidquid in Nicæa Bithyniæ constitutum est ad robur sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, a sanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo, nostro ore conformiter confirmamus. Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti, & magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi & venerandi principis Constantini Augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes: placet.* (c)

(a) En! Papa Conciliis Oecumenicis non solum præest, sed & eadem confirmat! Indoles interim, & effectus Pontificiæ confirmationis hujus, non *in vi quadam mere externa testimonii, & promulgationis* consistit, sed si Papa nec per se nec per legatos speciali instructione munitos præsederit, dicta confirmatio ad intrinseca Concilii pertinet, ita quidem, ut sine illa nulla prorsus sit decisio, ante hanc confirmationem facta. Deficit enim hoc in casu consensus determinatus Summi Pontificis tanquam Capitis, quem hoc ipso, quod illum expresse non manifestaverit, sibi usque ad confirmationem reservasse censendus est.

(b) Novi equidem laudatam Synodi Epistolam ad *Sylvestrum* a Criticis nonnullis, ut *Basnagio* ad ann. 325, *Labbæo*, & cl. *van Espen Dissert. in prim. Synod. Nicæn.*, quæ nunc extat tom. 3. noviss. edit. Colon., §. *XI.* haberi suppositiam. Verum præterquam quod *Canon Ecclesiasticus* vetet, *ne decreta absque Sententia Episcopi Romani sanciantur*, ut scribit *Socrates* L. II.

L. II. C. 13., nihil ſolidi poteſt adduci, quominus exiſtimetur authentica. Cfr. *Joann. Laurent. Berti hiſt. Eccleſ. tom.* 3. *pag.* 202.

(c) Refert hæc *Dionyſius Exiguus* præfat. ad Canones Nicænos.

§. IV.

Concilii Nicæni appendix & complementum, fuit Synodus *Sardicenſis*, ad tuendam S. *Athanaſii*, aliorumque, quos Ariani vexarant, Epiſcoporum cauſam, habita *Sardicæ in Dacia*, Illyrici provincia ann. 347., *Julii R. P.* 12, *Euſebio*, & *Rufino Coſſ.* Aderant Synodo huic ex toto orbe convocatæ, proin vere Oecumenicæ, Epiſcopi 280. Præſedit *Oſius Cordubenſis*, una cum *Archidamo* & *Philoxeno* Presbyteris, a *Julio P.* illuc ablegatis. *Synodus autem ex pluribus, quam triginta quinque provinciis coacta, cognita Arianorum malitia, permiſit*, Athanaſio, *ut cauſam diceret.* Dixit, & abſolutus eſt *Athanaſius.* Imo *Urſacius & Valens, cum antea ſe pro calumniatoribus geſſiſſent, poenitere ſe facti ſui proteſtantur: non ſolum enim*, inquit idem Athanaſius Apolog. 2da, *ſententiam pro nobis dictam approbaverunt, ſed & ſe cæterosque meos adverſarios, calumniatores eſſe, confeſſi ſunt.*

Fidei decretum, nullum edidit iſta Synodus; At canones condidit numero itidem XX., quorum *tertio, quarto* & *quinto* jus Appellationum ad Rom. Epiſcopum non primitus inſtitutum, ſed confirmatum fuit, tanquam appendix quædam & conſectarium Primatus. Quin imo non ſolum jus concedendi reviſionem, verum & poteſtatem judicandi Appellationes ab Epiſcopis depoſitis ad Sedem Romanam factas, Summo Pontifici aſſeruit, & confirmavit laudata Synodus. Hinc neque, ut nonnemo falſo arbitratur, in favorem præciſe S. *Athanaſii*, aliorumque orientis Epiſcoporum, qui ab Arianis eo tempore paſſim opprimebantur, conditi fuere tres illi memorati Canones, quandoquidem jam ante Synodum Sardicenſem, appellandi ad Romanum Pontificem viguerit conſuetudo. Cur autem *Julium* nominatim expreſſerit S. Synodus, ratio fuit, quod *Julius* tum temporis *Petri* Cathedram actu teneret, expreſſura procul dubio alium, ſi alius ſediſſet.

CONCILIUM CPOLITANUM I, GENERALE II.

§. V.

Macedonius, quem *Paulo* ejecto in Sedem Cpltanam intruſerat *Conſtantius* Imp., Filium Patre minorem aſſerere non contentus, *Spiri-*

Spiritus Sancti, ut blasphemiam porrigeret latius, *negabat Deitatem, eumque conservum prædicabat. Theodosius Imp. nihil cunctatus*, teste *Socrate L. V. C.* 8., *suæ fidei Episcoporum Concilium convocat, quo & Nicæna fides confirmaretur, & Cpoli ordinaretur Episcopus. Et quoniam in spem venerat, Macedonianos fidei suæ posse sociari, eorum quoque Antistites evocavit*, Ann. 381., idque inconsulto *Damaso R. P. Ex iis igitur*, inquit *Sozomen. L. VII. C.* 7., *qui Trinitatem consubstantialem profitebantur, convenerunt centum circiter & quinquaginta: ex Macedonianis vero sex & triginta.*

Præfuisse Synodo *Timotheum Alexandrinum*, non *Damasi* quidem, sed suo, & Concilii nomine, verosimilius habemus. Vix enim certi aliquid ex antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, hac de re colligi potest.

§. VI.

Condemnata hæresis *Macedonii*, editumque fidei Symbolum, quod semper ab Ecclesia, ut tessera fidei receptum est, atque etiamnum hodie in Missa legitur. In eo præter alia, hæc pariter contra Macedonianos adjecta sunt verba: *Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus est per prophetas.* Tres quoque Synodus hæc confecit Canones, quorum tamen *tertium*, vi cujus Cpltano Episcopo non tantum honoris Primatus post Rom. Pontificem, sed Patriarchica simul dignitas & jurisdictio in Diœceses thracicam, ponticam, & asiaticam confertur, usque ad *Innocentii III.* tempora, non recepit Rom. Ecclesia.

Concilium interim hoc, sive ejus convocatio attendatur, sive celebratio, Nationale duntaxat fuit orientalis Ecclesiæ. Neque enim vel per se, vel per legatos præsedit *Damasus*, neque alios, nisi *Imperii sui*, Orientis scilicet, cui imperabat, *Episcopos, jussit convenire Theodosius*, ut fidem facit *Theodoret. L. V. H. E. C.* 7. Accedente nihilominus Ecclesiæ occidentalis consensu, saltem si doctrinæ contra *Macedonium* definitæ habeatur ratio, ad Synodi Oecumenicæ auctoritatem evectum fuit. *Romana Ecclesia*, scribit S. *Gregorius M. L. VI. Epist.* 31., *canones hujus Synodi non accipit; in hoc autem eandem Synodum accipit, quod est per eam contra Macedonium definitum.*

CONCI-

CONCILIUM EPHESINUM.

GENERALE III.

§. VII.

Nestorius, Ex Monacho Antiocheno, Cpltanus Archiepiscopus, qui *B. Virginem Mariam*, ut ait S. *Leo Epist.* 134., *non Dei, sed hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis*, occasionem Concilio dedit. Cumque latius serperet contagium, *Cœlestinus* Papa coacta Romæ ann. 430. Synodo, damnat *Nestorium*, atque ut idem facerent orientales Episcopi, per literas hortatur. Cœgit eodem tempore *S. Cyrillus* Concilium Alexandriæ, conditis ibidem 12. capitulis, quæ vulgo *Anathematismi Cyrilli* audiunt. *Haud multo post Theodosius Imperator edicto proposito*, ut scribit *Socrates L. VII. C.* 34., *omnes undique Episcopos ad civitatem Ephesiorum convocavit*, ann. nempe 431. (a) Convenerunt eo Episcopi plusquam 200, una cum *S. Cyrillo*, cui vices suas commiserat *Cœlestinus. Nostræ sedis auctoritate adscita*, scribit hic in suis ad *Cyrillum* literis, *nostraque vice & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque severitate sententiam exequeris, nempe ut; nisi decem dierum intervallo, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet* Nestorius, *eamque de Christi Domini nostri generatione fidem, inposterum se confessurum spondeat, quam & Romana, & tuæ sanctitatis Ecclesia, & universa denique Religio Christiana prædicat, illico sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat. Is vero modis omnibus se a corpore nostro segregatum esse intelligat.* (b)

(a) Avide hoc testimonium arripiunt, qui jus convocandi Synodum Oecumenicam, denegant Rom. Pontifici. At vero divalem *Theodosii*, fuisse duntaxat executoriam mandati Apostolici, satis vel inde patet, quod Synodo huic præsederit *Cyrillus*, tanquam Apostolicæ Sedis legatus, ac proinde præcesserit de Synodo celebranda *Cœlestini* consensio. Et nunquid *Marcianus* in edicto, quo *C. Chalcedonense* confirmavit, aperte testatur ducem *Ephesini Concilii* fuisse *Cœlestinum* Rom. urbis Episcopum?

(b) En! illustrissimum Primatus & jurisdictionis Apostolicæ argumentum! Non de doctrina tantum fidei, sed & de persona Cpltani Episcopi. cui ante annos 50. amplissimam post primam sedem, dignitatem contulerat *Synodus secunda*, peremtorie decernit *Cœlestinus*.

§. VII.

§. VIII.

Septem actionibus Synodus hæc absoluta fuit. *Act. I.* lectæ sunt *Theodosii* ad Synodum literæ. *Candidianum*, scribit, *comitem ad sacram vestram Synodum abire jussimus, sed ea lege, & conditione, ut cum quæstionibus, & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat. Nefas est enim, qui Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis & consultationibus se se immiscere. Verum ut diligenter prospiciat, ne qua gravior dissensio ex mutuo repugnandi studio coorta, Synodi consultationem obturbet.* (a) Postmodum *Nestorius*, qui jam ante, magna comitantium stipatus caterva, Ephesum advolaverat, accersitus tertio a Patribus, ut in Concilio causam diceret, comparere contemsit. Itum proin ad judicium, atque prælecto Symbolo Nicæno, discussisque *Cyrilli* ad *Nestorium*, & hujus ad illum literis, scriptisque, anathemate confixus, & exauctoratus est *Nestorius. Deprehendentes*, ajunt Ephesini Patres, *partim ex literis, commentariisque ipsius, partim e sermonibus, quos nuperrime in hac Ephesiorum Metropoli habuit, illum inepte sentire, ac prædicare: coacti per sacros canones, & epistolam sanctissimi Patris nostri Cælestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi,* (b) *lachrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum Sententiam necessario venimus. Igitur D. N. J. Christus, quem ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc Synodum, eundem Nestorium Episcopali dignitate privatum, & ab universo sacerdotum consortio alienum esse, definit.*

(a) Protectorem ergo se duntaxat, & defensorem, non judicem Concilii agnoscit, & profitetur Imperator. Solis quippe Episcopis, qui actualem in subjectam sibi Diœcesin, jurisdictionem habent, jure divino competit, cum jure suffragii decisivi interesse Conciliis Oecumenicis.

(b) En! Synodus causam *Nestorii* a Papa jam decisam non retractat, sed, quod *Cœlestinus* fieri mandaverat, fideliter exequitur.

§. IX

Finita hac *Actione I.*, epistolam Synodicam dedere Patres ad *Theodosium*, cuncta, quæ hactenus in Synodo contigere, referentes. *Jubeatis*, ajunt, *ut ea, quæ constituta sunt ab Oecumenica & sancta Synodo, ad pietatis confirmationem contra Nestorium, & ejus impium dogma, suum robur obtineant, assensu vestræ pietatis stabilita .. Quodsi quis vestras sanctiones sprevisse compertus fuerit, ille vestræ Dominationis indignationem, non absque formidine sentiat.* (a) Synodi sententiam confirmavit *Theodosius*,

ſius, *Neſtoriumque* expelli eccleſia, deportari in exilium, Epiſcopum Cpoli in ejus locum ſubſtitui, ejus libros comburi, atque ſectatores ipſius infami *Simonianorum* nomine appellari, legibus latis edixit. Qua de re & ipſi gratulatus eſt *Cœleſtinus*. *Par tibi*, ait, *cum illo* (Elia) *gloria. Ille falſa prophetantibus reſtitit, tu falſa docentibus: Ille mentientes in Deum prophetas perſecutus eſt: tu de Chriſto Deo noſtro prædicantes impia, abigis ſacerdotes. Ille tantum vindictæ intentus eſt, veſtra Pietas ſic impia vindicat, ut, quæ ſunt religioſa defendat. &c. &c.*

(a) Cave tamen, ne inferas, vel Conciliorum definitiones, ratas non eſſe, niſi principum accedat aſſenſus, vel hic in conſtitutione Dogmatica *Placitum Regium* efflagitaſſe Patres. Brachii ſæcularis opem implorat duntaxat ſacra Synodus, ut hæreticorum contumacia, regia etiam authoritate comprimatur, ut Imperialis poteſtas poteſtati ſacerdotali ſit præſidio, canonesque a Concilio conſtituti, in forenſi ſimul judicio vim legis obtineant, atque per omnes Imperii provincias executioni mandentur: cujus rei cauſa *Euſebius in vita Conſtant. L. III. C.* 22. ait, piiſſimum principem ſigillo ſuo decreta nicæna corroboraſſe. Neque enim, ut ſcite obſervat *S. Leo Epiſt.* 33. *Res humanæ aliter tutæ eſſe poſſunt, niſi, quæ ad divinam confeſſionem pertinent, & regia, & ſacerdotalis defendat auctoritas.*

§. X.

Action. II. magnifice a Synodo excepti fuere *Cœleſtini P.* Legati, lectæque ejusdem ad Synodum literæ. *Direximus*, ait Pontifex, *pro noſtra ſollicitudine ſanctos fratres, & conſacerdotes noſtros, unanimes nobis & probatiſſimos viros, Arcadium & Projectum Epiſcopos, & Philippum preſbyterum noſtrum, ut iis, quæ aguntur, interſint, & quæ a nobis antea conſtituta ſunt, exequantur*; (a) *quibus præſtandum a fraternitate veſtra non dubitamus aſſenſum, quando id, quod agitur, videatur pro univerſalis Eccleſiæ ſecuritate decretum.* Mox *Projectus* exponens, voluiſſe per literas ſuas *Cœleſtinum* ea, quæ jam definierat, executione non fruſtrari, Synodum his verbis alloquitur: *Sanctitatem veſtram hortatus eſt* Pontifex, *non quaſi ignorantem docens, ſed velut gnaram commonefaciens, ut ea, quæ dudum ante definiit, & nunc in memoriam revocare dignatus eſt, ad finem pleniſſimum jubeatis perduci, juxta canonem communis fidei, & Eccleſiæ Catholicæ incrementum.* Repoſuit *Firmus cæſareenſis* Epiſcopus: *Cœleſtinus per literas, quas pridem ad Cyrillum alexandrinum, & Juvenalem jeroſolymitanum, & Rufum theſſalonicenſem, nec non ad ſanctas Cpolis, & Antiochiæ Eccleſias miſit, certam de præſenti negotio*

 ſenten-

sententiam, *regulamque præscripsit*, *quam nos proinde secuti*, *forma canonum ubique diligenter observata*, *canonicum*, *apostolicumque judicium in illum* (Nestorium) *exercuimus*. (b) Legatis denique, quæ hucusque gesta forent, sibi exponi postulantibus, acta Synodica ad inspiciendum data sunt.

(a) In commonitorio, quod legatis suis dederat *Cœlestinus*, inter alia his usus fuit verbis: *Auctoritatem Sedis Apostolicæ custodiri debere mandamus; siquidem & instructiones*, *quæ vobis traditæ sunt*, *hoc loquantur*, *ut interesse conventui debeatis. Ad disceptationem si fuerit ventum*, *vos de eorum*, (Nestorianorum) *sententiis judicare debebitis*, *non subire certamen*. Sic igitur a *Cœlestino*, romanaque Synodo missi fuerunt in Orientem legati, non ut redditis irritis, quæ anno priori adversus *Nestorium* ab eodem Pontifice decreta sunt, causa ejusdem novo subjiceretur examini, sed potius, ut sententiæ in *Nestorium* latæ, iidem legati executores essent.

(b) Fatente itaque *Firmo* Episcopo. nec contradicente Synodo, *certam de præsenti negotio sententiam*, *regulamque præscripsit Cœlestinus*. Nonne irreformabile, ultimumque in caussa fidei Papæ judicium hoc modo agnovere Patres Concilii?

§. XI.

Act. III. Considentibus in sanctissima Ecclesia, *quæ appellatur Maria*, *piissimis*, *Deoque dilectissimis*, *Arcadio*, *Projecto*, *& Philippo*, *Romanæ Sedis legatis*, iterum damnatus & depositus est Nestorius. *Propterea*, ait *Projectus* Ep., *& ego quoque authoritate legationis Apostolicæ Sedis*, *una cum fratribus sententiæ executor existens definio memoratum Nestorium veritatis inimicum*, *fideique corruptorem*, *tanquam iis*, *de quibus accusatus est obnoxium*, *a gradu episcopalis honoris*, *& ab omnium præterea sacerdotum orthodoxorum communione remotum esse*. *Cyrillus* postea, *quæ*, subjungit, *Arcadius & Projectus*, *nec non Philippus deposuerunt*, *perspicue sancta Synodus percepit*. *Deposuerunt enim supplentes locum Apostolicæ Sedis*, *totiusque Synodi sanctissimorum*, *Deoque dilectissimorum occidentalium Episcoporum*. *Quare cum ea*, *quæ a Cœlestino sanctissimo*, *Deoque dilectissimo Episcopo decreta jam fuerant*, *executi sint*, *consequens est*, *ut eorum*, *quæ hesterno*, *hodiernoque die acta sunt*, *commentarii superioribus actibus attexantur*. (a)

(a) Legatis *Cœlestini Act.* 3. præsidentibus Synodo, se non annumerat *Cyrillus*, non omissurus utique, si vices illius adhucdum gessisset. Cur autem alios a *S. Cyrillo* legatos ad ephesinum Concilium destinaverit *Cœlestinus*, ratio præprimis erat, quod *Theodosio* Imp., fraude *Joannis Antiocheni*, qui non

non tam errori, quam personæ *Nestorii* favebat, circumvento, suspectus esset *Cyrillus*, adeo ut eum custodiri jusserit tanquam depositum. Actorem autem fuisse in propria causa, simul & præsidem quis credat?

§. XII.

Transmissa postmodum ad Imperatorem relatio Synodica. *Licet*, ajunt Patres Concilii, *maximum itineris spatium universam illam sanctissimorum Episcoporum multitudinem ad nos pervenire prohibuerit, attamen illis in locis simul congregati, Cœlestino magnæ Romæ Episcopo etiam præsente, & nunc nostram de fide sententiam magno consensu prædicarunt, eosque, qui diversa sentiunt, ab omni prorsus sacerdotii sorte, graduque alienos esse definierunt. .. Quia ergo viri isti, qui venerunt, totius occidentalis sanctæ Synodi sententiam, nostræ huic Synodo per literas exposuerunt, sensumque de fide & pietate nobis consonum declararunt, & eadem, quæ nos, decreverunt, necessario, quod officii ratio postulabat, de consensu illorum nobiscum, ad vestram Majestatem retulimus.* Epistolam pariter Synodicam ad *Cœlestinum* dedere Patres. *Quia vero*, ajunt, *necesse est, ut omnia, quæ consecuta sunt, sanctitati tuæ significentur, non potuimus non scribere, ex multis, variisque provinciis Episcopos supra ducentos, in Epesiorum Metropoli nos convenisse ... ut omnia, quæ hic gesta sunt, cognoscas, integros actorum commentarios misimus, & Synodi subscriptiones.*

En! Magnificam denuo Primatus Apostolici confessionem! Equidem Synodi confirmationem explicite non rogant Patres; At neque hæc necessaria fuit, quandoquidem speciali instructione muniti fuerint, quos *Cœlestinus* miserat, legati. *Quodsi*, inquit ille in privato commonitorio, *transactam Synodum, & rediisse omnes Episcopos videritis, requirendum est, qualiter fuerit res finita. Si pro antiqua fide Catholica res gestæ sunt, & sanctum fratrem meum Cyrillum Cpolim didiceritis profectum, ire vobis illo necesse est, ut Epistolas nostras principi porrigatis; quodsi aliter actum est, & in dissensione res sunt, ex ipsis rebus conjicere poteritis, quid cum consilio supra dicti nostri fratris agere debeatis.* En! assensum, & confirmationem Synodi negat, prohibetque Pontifex, nisi pro vera fide res gestæ sint! Et nunquid se superiorem Oecumenica Synodo credidit, ipsoque facto probavit *Cœlestinus*?

CONCILIUM CHALCEDONENSE.
GENERALE IV.

§. XIII.

Error *Eutychetis* Archimandritæ Cpltani, *de imperitia magis*, ut ait *S. Leo Epist.* 13., *quam de versutia natus*, huic ansam præbuit Concilio.

cilio. Cumque, monitus licet, *post adunationem, unam* in Christo *naturam* confiteri contumaciter pergeret, habita sub *Flaviano* ann. 449. particulari Synodo, damnatus est. Libellos idcirco ad *Leonem* direxit *Eutyches, plenos omni fallacia, atque calliditate,* (a) queis & *Leonis* commovit animum, donec *Flaviani* literis patuerit veritas. *Conventus,* in fatis literis subdit ille, *sanctissime Pater! in his omnibus, quæ ab eo præsumta sunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundum quod sacerdotio competit, propriamque faciens communem causam, & sanctarum ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem adversus eum regulariter factam, per propria scripta dignare.* Præstitit hoc causa cognita *S. Leo.*

(a) *Apollinarium,* scribit, *Valentinum, Manem & Nestorium anathematizo, & eos, qui dicunt carnem D. N. I. C. Salvatoris e cœlo descendisse, & non e Spiritu Sancto, & Sancta Virgine Maria; & omnes hæreses usque ad Magum Simonem, & nihilominus tanquam hæreticus de vita periclitor.* Sed de duabus in Christo post incarnationem naturis, altum tacet versipellis.

§. XIV.

Aliam igitur scenam ludit *Eutyches, Dioscori Alexandrini* opem implorans. Vir hic improbus, & aliunde *Flaviano* infensus, suscepto causæ profligatæ patrocinio, suggerit *Theodosio,* rem istam in Synodo Oecumenica definiendam esse. Decernitur hæc rursus celebranda Ephesi. Convolat eo *Dioscorus* cum *Eutychete,* & 130. Episcopis. (a) Invitavit pariter, ut Concilio interesset, Imperator *S. Leonem.* Sed excusavit se Pontifex *Epist.* 17. ad *Theodos.* *Quamvis,* ait, *ad diem Concilii episcopalis, quem Pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, cum nec aliqua ex hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere civitatem, præsertim cum tam evidens fidei causa sit, ut rationabilibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum;* (b) *tamen in quantum Dominus adjuvare dignatur, meum studium commodavi, ut Clementiæ vestræ decretis aliquatenus pareatur, ordinatis hinc fratribus meis, qui amputandis scandalis pro causæ æquitate sufficiant, quique præsentiæ meæ impleant vicem: quia non talis quæstio orta est, unde aut possit, aut debeat dubitari.*

(a) Duo contra canones præsumsit hic *Theodosius.* Munus præsidendi Synodo, quod jus semper erat peculiare Rom. Pontificis, detulit imprimis *Dioscoro,* bipedum scelestissimo. *Manifestum facimus,* loquitur in suis ad illum literis, *tuæ beatitudini, & universæ sanctæ Synodo, quod nos regulas Ss. Patrum secuti . . . auctoritatem & primatum tuæ præbemus beatitudini.*

Neque

Neque hoc satis, sed & *Barsumam* Archimandritam, scelere & perfidia notissimum, suffragandi jure donavit, summa in ecclesiasticas regulas injuria. *Justum*, scribit, *esse duximus, tuam sanctitatem ad ephesinam civitatem pergere, & locum tenentem omnium religiosissimorum archimandritarum orientalium, considere sanctæ Synodo, quæ ibidem disposita est, & cum aliis sanctissimis Patribus, & Episcopis, quæ sunt Domino placitura, ordinare.*

(b) En! ad proscribendum *Eutychetis* errorem, a se jam damnatum, necessariam negat *S. Leo* generalem Synodum, a *Theodosio* convocatam! Nunquid eodem modo *Pelagianis*, & *Cœlestianis* Oecumenica denegata fuere Concilia, & tamen eorum caussam, statim, ac Summæ Sedis rescripta advenerant, fuisse finitam, docuit *S. Augustinus? Roma*, inquit Serm. 2. de verb. Apost. C. 10., *rescripta venerunt; causa finita est: error utinam aliquando finiatur*! Sic & dum *Acaciani*, & orientales causam *Acacii* in Synodo Generali retractandam postularent, restitit *Gelasius*, & adversus eos, *non putantes jure damnatum, quod non speciali Synodo videatur esse dejectum*, Epist. 13. ita scribit: *Quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli, jus habet resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia jus habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat appellare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte, canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Subdit dein: *sed nec illud præterimus, quod Apostolica Sedes more Majorum, etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi, quos Synodus inique damnaverat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* En! clare decisum, post Romani Pontificis definitionem superesse nihil, quod ad obtinendam firmitatem sit necessarium! Et revera solius Pontificis judicio Oriens acquievit tandem, & ipse *Justinus* Imp., postquam nomen *Acacii* sacris fastis expunxerat in gratiam cum Sede Romana rediit.

§. XV.

Suos quoque destinavit legatos *S. Leo*, cum Epistolis; una quidem ad *Flavianum*, altera ad ipsam Synodum, directis. *Quia*, scribit in hac, *pie, ac religiose christianissimus Imperator haberi voluit episcopale Concilium, ut pleniori judicio omnis possit error aboleri*, (a) *fratres meos, Julium Episcopum* (Puteolanum) *Renatum presbyterum, & filium meum Hilarum diaconum, cumque his Dulcitium notarium probatæ nobis fidei misi, qui vice mea sancto conventui vestræ fraternitatis intersint, & communi nobiscum sententia, quæ Domino sint placitura, constituant. Hoc est, ut primitus pestifero errore damnato, etiam de ipsius*, (Eutychetis) *qui imprudenter erravit, restitutione tractetur; si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, plane, aperteque, propria voce, & subscriptione damnaverit.* (b)

(a) Mi-

(a) Mirum, quod absolutam Synodi Generalis necessitatem, ad hanc fidei caussam terminandam, in recitatis *S. Leonis* verbis se invenisse, crediderint viri eruditi. Hanc certe de se temere conceptam opinionem, ipsusmet *S. Leo Epist* 16. ad *Flavian.* diserte refellit. *Clementissimus*, inquit, *Imperator pro Ecclesiæ pace sollicitus, Synodum voluit congregari, quamvis evidenter appareat, rem de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu.* At neque *S. Flavianum* existimasse necessarium esse, ut similes dirimerentur controversiæ, Concilium, ex ejus ad *S. Leonem* Epistola, abunde constat. *Caussa*, ait, *eget solummodo vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis & turbæ, quæ propter eum factæ sunt, facillime destruentur, Deo cooperante per vestras sanctissimas literas; removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.* Perperam itaque asseritur, credidisse *S. Leonem*, non suo unius judicio, sed communi episcoporum consensu, errorem aboleri posse. Suavius quidem, & efficacius id fieri in Generali Concilio permittimus: necessarium esse negamus.

(b) En! non, quod examine indigeat, proponit, sed quid a Synodo præstandum, tanquam a se antea discussum, præscribit *Leo*! *Quid autem*, inquit idem *Epist.* 12. ad *Theodos. Catholica Ecclesia universaliter de Sacramento Dominicæ Incarnationis credat, & doceat, ad fratrem & cœpiscopum nostrum Flavianum, plenius continent scripta, quæ misi.* Noluit ergo Pontifex caussam *Eutychetis*, tanquam rem dubiam discuti, sed absolute damnari jubet hæreticum, nisi resipiscat.

§. XVI.

Coepit *Ephesina* illa *Synodus* eodem ann. 449. Nihil in ea actum ex lege, nihil moderatum: turbida omnia, violenta, atque a more Majorum abhorrentia. Legatis, quos *Leo* miserat, negatus in sedendo primatus, quem invasit *Dioscorus: lecta non fuerat ad Flavianum epistola in Eutychetis damnatione, a Papa Leone scripta, & occultata fuerat epistola ejus ad ipsam Synodum directa*: *Flavianus*, aliique, quot quot Cpoli damnarunt *Eutycheten*, Antistites, jure suffragandi exclusi. *Restitutus in presbyteratus gradum, & principatum sui monasterii Eutyches*, *Flavianus* vero tanquam hæreticus *ab omni sacerdotali, & episcopali dignitate judicatus est alienus.* Cumque ab hac impia *Dioscori sententia Leonis* tribunal appellaret *Flavianus*, (a) *per vim ab Ecclesia extrusus, calcibus verberatus, & miserandum in modum interfectus est*, quemadmodum *L. 2. H. E. C. 2.* rei fidem facit *Evagrius.* (b) Approbata dein *Eutychetis* insania, de una post incarnationem Christi natura, (c) minis,

nis, & terroribus, Epiſcoporum ſuffragia extorquente *Dioſcoro*, nec parum ad impium hocce ſtratagema conferentibus *Elpidio*, *Theodoſii* legato, & doloſis *Chryſaphii* artibus, in *Dioſcorum*, & *Eutycheten* ultra modum propenſi.

(a) En! ab Oecumenica Synodo non ad aliud quodvis Generale Concilium, ſed ad illum immediate provocat *Flavianus*, qui ratione Primatus jure divino ſibi competentis, ſummam authoritatem habet judicandi cauſas fidei, etiam extra Concilium, cujusque decretis, definitioni, atque ſententiis, fideles ad unum omnes parere tenentur. Enim vero quem in finem retractari cauſſam ſuam in nova Synodo poſtulaſſet Cpltanus Epiſcopus? Nunquid & illa facile degenerare potuiſſet in Synagogam Sathanæ? quomodo ergo judex eſſe prioris, præſertim cum æqua foret utriuſque poteſtas? — porro cum appellatio nihil ſit aliud, quam ab inferiori judice ad ſuperiorem legitime facta provocatio, nonne ipſo facto demonſtravit *Flavianus*, *ſe Epheſina* illa *Synodo* ſuperiorem, ejusdemque legitimum judicem agnoſcere, univerſalem ſenioris Romæ Epiſcopum?

(b) En! dignam impietate ſtropham, verſasque ſubito rerum vices! Novendecim ante annos, ſub eodem *Theodoſio*, eadem in Metropoli *Epheſina*, *Alexandrinus* Patriarcha ſanctiſſimus, proborum Præſes, blasphemum Archiepiſcopum *Cpltanum* damnaverat; jam vero impiiſſimus *Alexandrinus*, prædatoriæ cohortis dux, ſanctiſſimum *Cpolis* præſulem, tyranno quovis immanior, damnat, deponit, imo trucidat. Non aberravit profecto antiquitas, dum hoc conventiculum, *erraticam*, *& prædatoriam Synodum*, ſeu *latrocinium Epheſinum* nuncupavit.

(c) En! Oecumenica, convocatione ſua certo legitima, circa fidem naufragatur Synodus! Deſine mirari: *Petrus* aberat, confirmans fratres ſuos; unde fluctibus jactari, ſcopulisque allidi naviculam, mirum non erat: Auriga defuit; unde in devia abripi currum Iſrael, neceſſum fuit. — En! centum, & plures hæreſin definiunt, orbique fide divina credendam, obtrudunt Epiſcopi! — Nonne ingemiſcens orbis terrarum, *Eutychianum* ſe eſſe, conclamata priſca fide, mirari debuit? — At dices, impia fuit, & acephala illa Synodus; recte ſentis: ſed vide, quid membris præſtet influxus capitis, & quam facile errare queant Synodi Patres, ſine anima Concilii? — — Sed neque, repones, lecta fuit, mala fraude *Dioſcori*, Dogmatica *Leonis* ad *Flavianum* Epiſtola; — fatemur & hoc. — — Verum (ſit verbo venia) an recitata, probeque perſpecta *Leonis* epiſtola, ſanam tuliſſent Epheſini Patres de fide orthodoxa ſententiam, an adhuc malignam? — Si impiam, & hæreticam; ergo deficiente in cauſſa fidei univerſali Synodo, ſanum, orthodoxum, ultimatum, & irreformabile erat *Leonis* judicium: ſin autem ſanam protuliſſent, & fidei conformem; ergo idcirco præciſe a vera ſemita non aberraſſet Synodus, quod facem prætulerit Dogmatica *Leonis* Epiſtola: ergo recte definiiſſet Synodus, quia

recte

recte ſapuit, docuitque caput, & anima Synodi: ergo ad Romanam, *propter potentiorem*, ut loquitur *Irenæus L.* 3. adv. hæres. *C.* 3., *principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, nipote in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt traditio?*

§. XVII.

Certior factus de geſtis *Epheſi*, fortiſſimus *Leo*, damnat, caſſat, irritumque declarat conventum. *Non poteſt*, ſcribit *Marciano* Imp. *Epiſt.* 43., *vocari Concilium, quod in everſionem fidei, fuiſſe conſtat agitatum.* (a) Ad *Theodoſium* vero *Epiſt* 25. ita fatur: *Omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus, & lachrymis ſupplicant ſacerdotes, ut, quia & noſtri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit,* (b) *Generalem Synodum, jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra ſit vel in fide dubium, vel in charitate diviſum, convenientibus utique orientalium provinciarum Epiſcopis.* (c) At vero non ſolum negavit *Theodoſius* eorum, quæ in *Epheſino Latrocinio* inique geſta erant, retractationem, ſed & lege lata illud confirmavit. *Nos igitur*, inquit, *ejusdem ſanctæ Synodi* (Epheſinæ) *decreta laudamus, atque confirmamus, hanc orthodoxam fidem putantes, atque nominantes, quæ a trecentis decem & octo Patribus expoſita eſt, atque firmata in ſanctis Conciliis, quæ Epheſi congregata ſunt. Omnino autem nullus*, ſubdit dein, *qui Neſtorii, & Flaviani, ac eorum, qui ejusmodi hæreſis ſententia detinentur, ullo modo Epiſcopus ordinetur.* (d)

(a) En! poteſtatem dominativam *Leonis* in Synodum Oecumenicam! Nulla quidem, haud diffitemur, impia, prorſusque irrita fuit illa; ſed legitimum ea de re proferre judicium ſolus ille poterat, qui *ſuper omnia Concilia authoritatem habet*, Romanus Pontifex. Vide igitur, & expende, quem & qualem confirmatio, aut reprobatio Pontificia in ejusmodi negotio pariat effectum? —

(b) Et nunquid manifeſte hæc verba ſignificant, *Flavianum* reipſa ad Sedem Apoſtolicam appellaſſe? Omnis certe appellatio ad aliquem judicem dirigenda eſt; cum itaque *Flavianus* appellationis ſuæ inſtrumentum dederit legatis Apoſtolicis, aliquam procul omni dubio in iis agnovit jurisdictionem, qua appellationem iſtam poſſint recipere: nulla autem illi jurisdictione ornati erant, niſi quatenus legationem gerebant Pontificiam. Ad *Leonem* igitur per ejus legatos appellationem ſuam direxit *S. Flavianus.*

(c) Factum hocce *Leonis*, qui accepto appellationis libello, Synodum ad cauſſæ diſcuſſionem indicendam cenſuit, nullatenus favet *Baſnagio.* Id enim

ab

ab eo præſtitum haud aliter, ac pro ſolemni Romanorum Pontificum more, ut, quoties de cauſſis majoribus ageretur, nunquam, niſi re prius in Synodo diſcuſſa, judicandum ſibi de illis ſumerent. Nunquid igitur, quia in re graviſſimi momenti judicium ferre recuſarunt Pontifices, ideo in cauſſis illis non ad eosdem Antiquæ Romæ Epiſcopos, ſed ad Synodos ab eis cogendas provocatum fuiſſe, jure merito diceretur? *Donatiſtas* in cauſſa *Cæciliani* ad *Conſtantinum* provocaſſe novimus, quamvis Imperator de illa re per ſe cognoſcere recuſans, ad Synodum retulerit. Admittimus *Flaviani* libellum ad omnes partium illarum Epiſcopos eſſe directum, utpote quos omnes conſultores adfuturos noverat *Leoni* in eo judicio ferendo, ſed provocatio ad unum duntaxat *Leonem* facta eſt, tanquam ad ſupremum judicem.

(d) Brevi vindictam ſenſit infelix princeps, qui præclaram juventutem haud æqua ſenectute commaculans, plus æquo ad thuribulum profanam porrexit manum. — At forte & *Placitum Regium* flagitarunt Epheſini illi Patres? — — Per me licet: proficiat ipſis.

§. XVIII.

Quam obtinere nulla prece a *Theodoſio* poterat *S. Leo*, Generalem Synodum, hanc ultro conceſſit *Marcianus*, imperii clavo admotus. *Supereſt*, ait in ſuis ad illum literis, *ut, ſi placuerit tuæ beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur; noſtris utique deſideriis veſtra Sanctitas ſatisfaciet, & ſacræ religioni, quæ utilia ſunt, decernet. Si vero hoc oneroſum eſt, ut tu ad has partes advenias, hoc ipſum nobis propriis literis tua ſanctitas manifeſtet, quatenus in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam, & Illyricum ſacræ noſtræ literæ dirigantur, ut ad quendam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire, & quæ chriſtianorum religioni, atque catholicæ fidei proſint, ſicut tua Sanctitas ſecundum eccleſiaſticas regulas definierit,* (a) *ſua diſpoſitione declarent.* Acceptis *Marciani* literis *Epiſt.* 42. reſcripſit *S. Leo*, non eſſe *reparata diſceptatione tractandum, utrum Eutyches impie ſenſerit, & utrum impie Dioſcorus judicarit,* (b) *ſed qualiter* lapſorum *precibus annuendum* ſit, *veniam de inconſtanti trepidatione* poſcentium. Miſſis dein ad Imperatorem legatis *Epiſt.* 43. ſcribit in hunc modum: *Popoſceram quidem a glorioſiſſima Clementia veſtra, ut Synodum .... aliquantiſper differri ad tempus opportunius juberetis .... ſed quia pio ſtudio humanis negotiis divina præponitis.... Ego etiam veſtris diſpoſitionibus non renitor, optans, ut in omnium cordibus catholica fides, quæ non poteſt, niſi una eſſe, firmetur.* (c)

(a) Ea-

(a) Eadem ferme *Leoni* perſcripſit *Pulcheria*, conjux *Marciani* Auguſta. *Tua*, inquit, *Reverentia ſignificare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis Epiſcopi, ſicut etiam Imperatori, conjugi meo, placuit, in unam civitatem velociter valeant convenire, & illic facto Concilio, de catholica religione, ſicut fides, & chriſtiana pietas exigit, te auctore decernant.* Primas certe partes eſſe Rom. Pontificis in Generali Synodo, eidemque competere jus dandi ſuffragium primum, & magiſteriale, quod norma ſit & regula cæterorum, relatis verbis omnino agnoviſſe videntur Auguſti.

(b) En! *ob paucorum inſipientiam*, qui hæreſi etiamnum adhærebant, retractari cauſſam fidei, a ſe jam deciſam, prohibet *S. Leo*, eoquod plurimi *jam ad ſatisfactionis remedia* converſi, Epiſtolæ Dogmaticæ ſubſcripſiſſent. Compertum quidem habemus iterum quandoque in Conciliis retractata fuiſſe, quæ Romanus Pontifex prævie definierat; ſed id eo conſentiente factum, cujus auctoritate Synodus Oecumenica convocabatur, & quo Præſide celebrabatur, ad frangendam ſcilicet hæreticorum contumaciam, ut adeo ipſis Pontifici definienti obtemperare nolentibus, nulla ſupereſſet ſuæ obſtinationis excuſatio, ſi & Concilio acquieſcere detrectarent.

(c) Vides, juſſione quidem Imperiali, authoritate tamen ac conſenſu Pontificis Romani, congregatam fuiſſe Synodum hanc generalem.

§. XIX.

Convenerant interim ſacra juſſione Epiſcopi *Nicææ in Bythinia*, ad celebrandam Synodum, quæ tamen paulo poſt *Chalcedonem* translata eſt. (a) Cœpit ibidem illa *octavo idus octobris* ann 451., *Marciano*, & *Adelphio Coſſ.* in ampliſſima *S. Euphemiæ* Baſilica (b) præfuit *S. Leo* per legatos, *Paſchaſinum*, & *Lucentium* Epiſcopos, *Bonifacium*, & *Baſilium* Presbyteros. (c) Atque *in his fratribus*, inquit *Leo Epiſt.* 47. ad Synod. chalced., *qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt, me Synodo, veſtra fraternitas æſtimet præſidere, non abjuncta a vobis præſentia mea, qui nunc in Vicariis meis adſum, & jam dudum fidei catholicæ prædicatione non deſum: ut, qui non poteſtis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non poſſitis dubitare, quid cupiamus.* Aderant inſuper quidam proceres, qui *judicum* nomine in actis veniunt, ab Imperatore miſſi, ut ſua auctoritate ſtrepitu ac turbas comprimerent, ne ſcilicet quid ejusmodi, ut in *latrocinio Epheſino*, contingeret.

(a) Transferendi Concilii occaſionem præprimis dedere, Apoſtolicæ Sedis legati, qui teſte *Evagrio L. 2. H. E. C. 1*, *Marcianum* enixe obteſtati ſunt, ut ſancto adeſſe dignaretur Concilio, proteſtantes, ſe ipſo abſente illuc non fore venturos.

(b) Nulla unquam ad id tempus Synodus vel frequentior, vel auguſtior.

Ade-

Aderant, ut nonnulli ſupputant, 636 Episcopi, duplo nimirum majori numero, quam in *Nicæna* comparuerant.

(c) *Julianum Coenſem* Episcopum, legatis Apoſtolicæ Sedis, ſunt, qui annumerent; ſed hunc ut conſiliorum participem potius, quam legationis ſocium, adjunxiſſe videtur S. *Leo*.

§. XX.

Quæ octavo idus octobris inchoata fuit, calendis novembris, Actionibus 18., abſoluta eſt Synodus. *Act.* 1. petentibus legatis, & decernentibus magiſtratibus, *Dioſcorus* in Synodo prohibitus eſt ſedere ut judex, juſſus *ſedere in medio tanquam reus. Judicii ſui*, ait *Lucentius*, *neceſſe eſt eum reddere rationem, quia cum perſonam judicandi non haberet, præſumſit, & Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.* (a) Lectis dein actis Synodi Cpltanæ ſub *Flaviano*, & pſeudo-Synodi Epheſinæ, pronuntiatum eſt decretum, *Dioſcorum*, cæteroſque latrocinii Epheſini auctores, eadem, qua *Flavianum*, aliosque affecerant, pœna eſſe plectendos, *ſi*, ajunt judices, *placuerit diviniſſimo, & piiſſimo domino noſtro ... omnibus, quæ conſequenter acta ſunt, ad ſacrum apicem referendis.* (b) Actum quoque de *Theodoreto*, quem in Synodum introduci, petierunt judices. *Quia*, inquiunt, *& reſtituit ei epiſcopatum ſanctiſſimus Archiepiſcopus Leo, & piiſſimus Imperator ſanxit eum adeſſe ſanctæ Synodo.* Illyriciani, & Ægyptii dixerunt: *miſeremini, fides perit: iſtum canones ejiciunt: hunc foras mittite, Magiſtrum Neſtorii foras mittite.* Clamarunt orientales: *dignus, dignus. Orthodoxum Synodo: homicidas foras mittite.* Contra Ægyptii: *Cyrillum ejicimus, ſi Theodoretum acceperimus.*

(a) En! nemine Episcoporum reclamante jus ſemper, & ubique præſidendi Oecumenicæ Synodo, ſolemniter a *Lucentio* aſſeritur R. Pontifici. Ex arbitrio igitur Patrum non pendet, illo neglecto, aliud ſibi extra ordinem, Synodi caput deligere.

(b) Oppido ex his conficitur, *Marcianum* Synodi initio, veluti *Baronio*, & *Bellarmino* perſuaſum erat, non adfuiſſe; cur enim ad eum referenda forent, quæ coram præſente acta eſſent?

§. XXI.

Act. 2. cum, ut fieret expoſitio fidei, peterent judices, reſponderunt Patres: *in ſcriptis expoſitionem non facimus. Regula vult, aliam expoſitionem non fieri. Ea, quæ ſunt Patrum, teneantur.* (a) *Cecropius Sebaſtopltanus Ep.* dixit: *Emerſerunt: quæ ad Eutychem pertinebant, & ſu-*

per iis forma data est a sanctissimo Archiepiscopo Romanæ urbis; & sequimur eam, & epistolæ omnes subscripsimus. (b) Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Omnes ista dicimus.* Lectis postea Symbolis Nicæno, & Cpltano, variisque epistolis, judices dixerunt: *Recitetur & Epistola Deo dignissimi Archiepiscopi, regiæ & senioris Romæ Leonis.* Hac lecta acclamavit Synodus: *Hæc Patrum fides: hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus. Anathema ei, qui non ita credit. Petrus per Leonem locutus est. Pie & vere Leo docuit.* Cum autem Illyrici & Palestinæ Episcopi de sensu trium locorum ejusdem Epistolæ, dubitationem moverent, concessæ fuerunt ipsis quinque dierum induciæ, intra quos de fide tractarent. Tunc omnes Rmi. Episcopi clamarunt: *nos ita credimus. Sicut Leo, ita credimus. Nostrum nullus dubitat. Nos jam subscripsimus.* Absoluta tandem fuit hæc Actio contrariis Patrum clamoribus. Orientales postulabant: *Dioscorum exilio. Hæreticum exilio. Dioscorum Christus damnavit: qui communicat Dioscoro, Judæus est.* Reclamabant Illyriciani: *Omnes peccavimus, omnibus indulgete. Dioscorum Synodo: Dioscorum Ecclesiis.*

(a) Prohibitionem factam *Action.* 6. Con. generalis *Ephesini*, ne aliud conderetur fidei Symbolum, spectabant Patres illi. Discimus inde, persuasum esse Episcopis, se nullatenus, ubi de summa fidei agitur, ad obtemperandum profanæ jussioni, obligari. *Ne te misceas*, ait *Osius Constantio* Imp. apud *Athanas. Epist. ad Solitar. Ecclesiasticis, neque ea nobis præcipe, sed potius ea a nobis disce.*

(b) En! nulla adhuc habita disputatione, nulloque *Eutychianæ* hæreseos habito examine, fatentur Episcopi, pro eadem condemnanda extare formam, & normam datam ab urbis Romanæ Episcopo!

§. XXII.

Action. 3. semel & iterum vocatus ad judicium *Dioscorus*, se sistere Synodo renuit, varia, judicum præsertim absentiam, causatus. Sed apposite *Dioscoro* respondit *Cecropius*: *quando quædam regularia examinantur, neque judices, neque aliquos laicos interesse oportet, nisi tantummodo tuam sanctitatem, quæ in propria accusatur persona.* (a) At vero cum & tertia vice vocatus adesse contemneret *Dioscorus*, legati, consentiente Synodo, hanc in eum tulere sententiam: *sanctissimus Archiepiscopus senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem sanctam Synodum, una cum ter beatissimo Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni sacerdotali alienavit ministerio.* Missa fuit etiam hac de re relatio ad Imperatores, & ad *Pulcheriam* Augustam. *Qui*, ajunt in hac Patres, *dispergebat, extinctus est. Sopitus est persecutor, princeps tempesta-*

pestatis Dioscorus, explosus est. Ipsique naves suas in cursu repetiere rectores, Christo ad intelligentiam prospere dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem; quia sicut sapiente Petro, ita & isto utitur assertore. (b)

(a) En! dum Ecclesiasticæ examinantur caussæ, laicos Magistratus interesse judicio, nefas arbitratur antiquissima Ecclesiæ disciplina.

(b) En! apertissime, si unquam alias, Romano Pontifici collatum divinitus Primatum, non modo honoris, sed auctoritatis etiam, ac jurisdictionis in universam Ecclesiam, agnoverunt, publiceque professi sunt, tam Synodi hujus Patres, quam ipsimet Augusti. *S. Petrum Petram, & Crepidinem Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, deprædicant Patres. Leonem S. Petri interpretem fuisse, Petrum per Leonem locutum* esse, *Christum in Leone ostendisse veritatem*, eodemque *assertore usum* esse asserit Synodus. Jam vero *Valentinianus*, & *Galla Placidia* in Epist. ad *Theodos. Romanæ Sedis Episcopo principatum Sacerdotii super omnes* attributum esse affirmant. Eadem *Placidia Petrum, qui cœlestes claves dignus fuit accipere, principatum Sacerdotii in Sede Apostolica* ordinasse, alibi profitetur. Paucos forte, vel nullos ævo nostro si Hetherodoxos exceperis, obtrectatores, res ista patitur. Verum plus aliquid ultra hæc me hic intueri puto. Nisi enim me omnia fallant, ultimatum, ac prorsus irreformabile extitisse *Leonis* in exponenda fide judicium, existimarunt Patres Synodi hujus, & quidem non immerito. Etenim si *Petra*, si *crepido Ecclesiæ*, si *rectæ fidei fundamentum* sit *Petrus*, super quod vi promissionis divinæ *Mat.* XVI. 18. ædificanda erat Ecclesia, quomodo errori obnoxius? Petra certe non erit firma, & stabilis, eaque corruente & ipsa corruet Ecclesia super Petram hanc ædificata. Et qua ratione *Petrus* vere confirmabit fratres suos, si nec ipse firmus in fide, ac indefectibilis existat? Si porro naufragari circa fidem queat *Petri* Successor, Romanus Pontifex, qualis Pastor erit, & Rector universalis Ecclesiæ, quæ non errore, sed veritate pascitur, ac regitur? Et cur ipsimet etiam catholici in dubiis fidei caussis toties ad judicium Pontificis provocarunt, si illud pro ultimato, & irrefragabili non habuerint? Mirum plane; viros interdum eruditos in praxi negare, quod theoretice sustinent, thema. Age enim: inficias eat *Mævius* Vaticinium *Isa.* VII. 14: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel &c.*, in vero aliquo sensu, directe a Spiritu sancto intento, Messiam tangere in carne venturum, ejusque Virgineam matrem? quid jam? Operosum utique non erit, *Mævio* objicere Patres: opponetur traditio: ad sensum Ecclesiæ fiet recursus. At nunquid arma deerunt, queis retia dissolvat, & nassa se extricet *Mævius*? Patres eludet, factæ revelationis existentiam, dogmatisque traditionem negabit, sensum Ecclesiæ *Accomodatitium* duntaxat esse, non *literalem*, aut *verum* aliquem, præsidenter tuebitur. Opinionem quidem *Mævii* errorem ac hæresin compellabunt multi, sed & dubitabunt alii, numero itidem bene multi, literis & eruditione ornati. Romam igitur ambulat Controversia, &, qui

porta-

portat in pectore *Ourim* & *Thummim*, Romanus Aaron consulitur. Oracula fundit ille, damnat, docet, definit. Roma rescripta veniunt, caussa finita est; verum an & error illico finietur? profecto si *provisorium* tantummodo, non *ultimatum*, ac *irrefragabile* sit decidentis PII VI. judicium, qua ratione ad palinodiam, hæresinque peremtorie ejurandam cogetur *Mævius?* quomodo dogma fide divina credendum, cui Ecclesiæ universalis consensus necdum accessit, proponet Pontifex, cum fidei divinæ nequeat subesse falsum? & quo iterum pacto hæreleos, jure postulari, poterit ille, qui stante etiam definitione Pontificis, in verba, sensaque *Mævii* adhucdum jurat, quandoquidem hæreticus non sit, nisi qui revelato cuidam articulo, atque ad credendum satis proposito pertinaciter resistit? Et quid demum, si a judicio PII VI. ad futurum Generale, quod forte nunquam erit, Concilium, appellaret *Mævius*, veluti a constitutione CLEMENTIS XI. Anno Sæculi hujus 19., die 28. Novemb. in sua fidei protestatione, appellasse novimus *Quesnellum?* Reformabile est, ut placet nonnullis, Papæ definientis judicium: hoc præminet generale Concilium; quidni legitima foret ab illo ad hoc facta appellatio? — —

§ XXIII.

Act. 4. cum judices decrevissent, ut Synodus, quid sibi de fide videretur, ediceret, *Paschasinus* Romanæ Sedis legatus, suo, aliorumque nomine dixit: *Sancta, & beatissima Synodus fidei regulam, quæ apud Nicæam a Patribus est constituta, sequitur, & tenet, sed etiam & centum quinquaginta apud Cpolim sub sanctæ recordationis Theodosio Majore congregata Synodus, ipsam fidem confirmavit: cujus Symboli expositionem a beatæ recordationis viro Cyrillo apud Ephesum, quando Nestorius est pro sua calliditate damnatus, similiter amplectitur. Tertio vero beatissimi, atque Apostolici viri, universalis Ecclesiæ Papæ Leonis, Nestorii, & Eutychetis hæresim damnantis, directa scripta, quid vera fides habeat, exposuerunt. Similiter & sancta Synodus hanc fidem tenet, hanc sequitur, nihil amplius nec addere potest, nec minuere.* Omnes Episcopi clamarunt: *omnes sic credimus: sic baptizati sumus.* Judices dixerunt: *singuli Episcopi, qui convenerunt, doceant, si expositio* Nicæna, & Cpltana *consonat Epistolæ Leonis P.* (b) *Anatolius* regiæ urbis Ep. ita censuit: *Epistola Archiepiscopi Leonis consonat symbolo* 318. *patrum, qui apud Nicæam, &* 150., *qui apud Cpolim postea sunt collecti: sed & iis, quæ in Epheso sub Cyrillo gesta sunt, ab universali & sancto Concilio. Quapropter consensi, & eidem Epistolæ libenter subscripsi.* Viritim dein singuli dixerunt Episcopi: *consonat, & subscripsi.* Illyriciani vero & palæstini Episcopi dixerunt: *summe ortbodoxum esse patrem nostrum Leonem, perfectissime novimus; factum est autem nobis certum de epistola mis-*

sa

sa ab ipsius Beatitudine, a sanctissimis Episcopis Paschasino, & Lucentio, qui locum tenent Apostolicæ Sedis, qui nobis dilucidaverunt, quæ obscuritas linguæ secernere subnotabat.... Et per hoc nobis satisfactum est. Et per omnia consonare æstimantes præscriptis sanctorum Patrum, huic Epistolæ consensimus, & subscripsimus. (b)

(a) Hanc judicum Imperialium interlocutionem ægre tulisse visi sunt, Apostolicæ Sedis legati. *Manifestum est*, ajebat *Paschasinus, nec dubitari poterit, Leonis Epistolam cum superioribus symbolis concordare.* At nec iniqua fuit legatorum indignatio. Ad quid enim novo examini subjiceretur *Leonis* Epistola, quam ex officio jam susceperat Synodus? *quis* porro *Canon jubet milites invadere Ecclesias, quis tradidit Comites Ecclesiasticis præesse rebus? Nunquam Ecclesiastica Imperator curiose perquirit*, ait *S. Athanas. Epist. ad Solitar. vit. agent.*

(b) Nodum hic in scirpo quærunt, quotquot Rom. Pontificis infallibilitati contradicunt. Dogmaticam *Leonis* Epistolam ad examen revocarunt Patres Synodi: neque eidem subscripserunt Illyrici & Palæstinæ Episcopi, qui *Act.* 2. de sensu quorundam locorum hæsitaverant, priusquam ad fidei regulas illam expendissent: ergo, inferunt, S. *Leonis* judicium esse ultimum, ac irreformabile, non judicarunt. Sed nunquid, antequam considerassent *Leonis* Epistolam, tanquam consonam *Nicænæ*, & *Ephesinæ* fidei, fatentur Episcopi nil addendum, nil mutandum in iis, quæ S. *Leo* in sua Epistola docuerat? Non igitur postmodum eandem probarunt epistolam, quasi sine sua approbatione aliquid ei deesset auctoritatis, sed ut ostenderent, & se omnino in ea agnovisse traditam dominicæ Incarnationis fidem, atque a *Leone* jam expositam. Quod autem Illyriciani, & Palæstini episcopi non confestim eidem consenserint Epistolæ, non ideo factum, quod de orthodoxia *Leonis*, quam explicite profitentur, dubitarint, sed quod minus bene latinam callerent linguam, quapropter & edoceri de quibusdam optabant. Dein nunquid & *Beroenses Act.* 17. ℣. 11. *susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent*, quæ dicebantur a *Paulo?* nunquid & Verbum Patris caro factum *Joann.* 5. ℣. 39, *scrutamini*, inquit, *Scripturas: illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*? An reformabilis propterea prædicatio *Pauli*, an judæorum calculo eguit doctrina *Christi?* Et nonne hæreses quamplures se solis, & quin ulteriori Generalis Concilii examini fuerint subjectæ, damnarunt Romani Pontifices, cur ergo non potius irrefragabile eorundem judicium inde derivas?

§. XXIV.

Eadem hac *Act.* 4. *Juvenalis* jerosolymitanus, *Thalassius* cæsareensis, *Eusebius* ancyranus, *Basilius* seleuciensis, & *Eustbatius* berytensis, Episcopi,

Epiſcopi, in prima jam Actione veniam precati, poſtquam ſuſcepta *S. Leonis* Epiſtola, anathema dixerunt *Eutycheti*, ad Synodum, & ad Sedes ſuas ſunt admiſſi. Sed cum ſubſcribere epiſtolæ renuerent Ægyptii, donec in locum *Dioſcori* ordinatus eſſet Patriarcha Alexandrinus, quem pro more diœceſeos ſuæ, ducem in hoc ſequerentur negotio, omnes clamaverunt Epiſcopi: *Qui non conſentit Epiſtolæ ſanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis, hæreticus eſt.* Iterum: *ſubſcribant epiſtolæ Leonis: qui non ſubſcribit ei, hæreticus eſt.* *Acacius* Ararathiæ Ep. dixit: *aut conſentiant Epiſtolæ, aut regularem damnationem ſuſcipiant, & cognoſcant, quia excommunicati ſunt.* *Photius* Tyri Ep. dixit: *ſi recta ſapiunt, oſtendant propriam intentionem circa fidem, & ſuſcipiant epiſtolam ſanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis; ſi autem nolunt, excommunicati ſunt.* Epiſcopi clamaverunt: *Hæc omnes dicimus: omnes ſic ſapimus.* (a) Interlocuti judices obtinuerunt a Synodo, ut Ægyptiorum ſubſcriptio poſt ordinationem Patriarchæ Alexandrini differretur, datiſque fidejuſſoribus, aut præſtito juramento, ſe de civitate interim non exituros dimitterentur. Lectus poſtea ex mandato judicum, libellus Monachorum, *Marciano* Imp. oblatus. Minabantur illi, ſe a communione Concilii diſceſſuros, ſiquid ſuis adverſum petitionibus decerneretur. *Non enim*, ajebant, *patimur, ſymbolo fidei trecentorum decem & octo Patrum recuſato, communicatores fieri eorum, qui hoc reſpuunt.* (b) Vix dein perventum ad hæc libelli ſupplicis verba: *ad hoc Concilium conveniat ſanctiſſimus Archiepiſcopus Dioſcorus*, una voce clamarunt Epiſcopi: *anathema Dioſcoro: Dioſcorum Chriſtus depoſuit. Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt.* (c) *Tolle injuriam a Synodo.* Cumque viciſſim clamarent perfidi Archimandritæ: *tolle injuriam a monaſteriis*, Patres dixerunt: *petitiones iſtas audire non licet. Illum, qui damnatus eſt ab omni Synodo, Epiſcopum nominare auſi ſunt. Regulæ quare calcantur?* perlecto poſtmodum libello Archimandritarum orthodoxorum, *Dorotheus* Monachus, *Eutychetis* apologiam ſuſcepit, integerrimæ fidei virum, illum eſſe, & calumniam pati, impudenter effutiens. Vix dixerat hæc, & his judices eum compellant verbis: *Eutyches ait, quod Corpus Salvatoris noſtri J. C. non fuit noſtræ ſubſtantiæ: tu de hoc quomodo confiteris?* Ille fidei profeſſionem, qua nec *Eutychianam* damnaret hæreſim, neque *S. Leonis* epiſtolam ſuſciperet, edidit, multis ambagibus involutam. Unde clamarunt Patres: *ſubſcribis Epiſtolæ, an non?* Reſpondit pertinax Monachus: *in baptisma credo, Epiſtolæ autem non ſubſcribo.*

(a) Idem

(a) Idem ergo erat ſequeſtratum eſſe a communione Eccleſiæ catholicæ, & conſentientem non eſſe Sedi Apoſtolicæ, atque hoc quidem, anteqnam definitivam de fidei controverſia ſententiam pronuntiaret Oecumenica Synodus. Nullæ amplius datæ induciæ: ſimplex, & nuda exigitur ſubſcriptio.

(b) En! inſignem rudium monachorum calumniam! Patres Synodi, Nicænum reſpuere Symbolum mentiuntur, quoniam Cpltanum ſimul vindicabant. Illud vero execrabantur perduelles monachi, quod eo tanquam mucrone, jugulum peteretur Eutychianæ perfidiæ. Hinc & Nicænum Symbolum, ac Epheſini decretum Concilii, quo quidquam eidem Symbolo vetatur addi, vafro, & hæretico animo libellis ſuis attexuerunt.

(c) Manifeſte inſtruimur inde, ſolos illos, quos Spiritus Sanctus poſuit Episcopos, regere eccleſiam Dei, moribus ævi illius, cum jure ſuffragii deciſivi admiſſos fuiſſe ad Conſeſſum Generalis Concilii.

§. XXV.

Act. 5. Lecta eſt fidei formula, pridie a Patribus concinnata. Sed quod *Eutychianam* hæreſin non penitus profligare videretur, Romanæ Sedis legati, & aliquot orientales Epiſcopi, eam tanquam inſufficientem repudiarunt. Contentio potiſſimum orta fuit ob Epiſtolæ *Leoninæ* verba, in dicta fidei formula ſuppreſſa, quibus *ſalvam utriusque naturæ proprietatem, in unam coiviſſe perſonam inconvertibiliter, inſeparabiliter, & inconfuſe*, ajebat *S. Leo.* Interrogavit interim *Anatolius* Cpltanus Ep., an placeret omnibus, promulgata fidei definitio; omnes exceptis Romanis, & Orientalibus illis, clamarunt Epiſcopi: *definitio omnibus placet: hæc fides Patrum: qui aliter ſapit, anathema ſit.* At fatam omiſſionem animadvertentes legati *Leonis*, in has erupere voces: *ſi non conſentiunt Epiſtolæ Apoſtolici & ſanctiſſimi viri, Papæ Leonis, jubete nobis reſcripta dari, ut revertamur, & ibi* (in Italia) *Synodus celebretur.*

(a) Huc, credo, præprimis reſpexit *Concil. Lateranenſe V.*, Generale XX, quando *Seſſ.* 11. Ann. 1516. habita, *ſolum Romanum Pontificem, tanquam ſuper omnia Concilia authoritatem habentem, Conciliorum nedum indicendorum, ſed & transferendorum, ac diſſolvendorum, plenum jus & poteſtatem habere* definiit. Minantur legati *ad hoc tantum ab Apoſtolica Sede directi, ut excuſſis hæreſibus, catholicæ eſſent fidei defenſores*, minantur, inquam, diſſolvendam, transferendam, & alibi indicendam fore Synodum, niſi imperata facerent Patres. Et quænam tunc alia, niſi *Epheſini latrocinii, Chalcedonenſis Synodi* conditio? perpende igitur denuo, quid confirmatio Papalis conferat aut demat, proſit aut noceat Synodo Oecumenicæ? At ſimul & dominativam, quam in Synodum Generalem legati exercent po-

teſtatem, attende, atque ſuperiorem eſſe quovis Concilio, Romani Pontificis, Authoritatem, facile perſpicies. Reveremur hoc, & agnoſcimus. Sed neque inclyta *natio noſtra Germanica*, veluti viſum fuit *Nonnemini*, *acceptavit* unquam, aut amplecti mentis erat, *in Concordatis cum ſancta Sede initis*, plenam invidia Sententiam, quæ Generale Concilium ſupra Pontificem exaltat. Præliminarem equidem, ut verum fatear, ad concordata Ann. 1446., propoſuit illa hunc ſecundum articulum: *Alterum eſt, ut profeſſio Poteſtatis, Auctoritatis, & Præminentiæ Generalium Conciliorum, catholicam militantem Eccleſiam repræſentantium, per ſuos Oratores facta, tuis literis approbetur.* Approbavit *Eugenius IV.* Suis in literis præfatum articulum, Sponſione facta his verbis: *Concilium Generale Conſtantienſe, Decretum* frequens, *ac alia ejus decreta, ſicut cætera alia Concilia, catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, auctoritatem, honorem, & eminentiam, ſicut & cæteri Anteceſſores noſtri, a quorum veſtigiis deviare neutiquam intendimus, ſuſcipimus, amplectimur, & veneramur.* Ita *Eugenius.* Sed cur quis, *tanquam Germanus, Sententiam* contrariam, quæ ſuperioritatem *in theſi* negat Concilii, ſalvis *legibus Imperii fundamentalibus, defendere non audeat*, nec oculo armato videmus. Doctiſſimus certe, juriumque Germaniæ tenaciſſimus *Barthelius Diſſert. 3. de Concordat. German. C. 1. n. 10. & 11.*, ex recitato tenore verborum nihil exſculpſit aliud, niſi quod & Papa Generalium Conciliorum legibus teneatur, iisdemque ſine juſta utilitatis, aut neceſſitatis cauſſa derogare nequeat. Atque hæc omnino, ut nullus ambigo, paciſcentium mens erat, hoc conſilium. Rogat inclyta Natio, *ut profeſſio poteſtatis, auctoritatis, & præeminentiæ Generalium Conciliorum per Oratores Apoſtolicos facta* literis *Eugenii* approbetur. Conſentit *Eugenius*, ſuſcipit, & amplectitur Concilium Generale Conſtantienſe, ejusque decreta, ſicut & cætera alia Concilia, eorundem poteſtatem, auctoritatem, & eminentiam veneratur; verum, quod bene notandum, haud aliter, nec niſi ad normam, qua eadem Anteceſſores ſui, ſuſceperunt, amplexi, & venerati ſunt: igitur ſimpliciter duntaxat, & abſolute, nulloque ad Pontificatus apicem habito reſpectu, eadem ipſa Concilia, eorumque decreta in vero, ac ſano ſenſu intellecta, ſuſcipit, ac reveretur *Eugenius.* Quis vero unquam Orator Apoſtolicus, quisnam Romanus Pontifex illimitatam, & ſuperiorem ipſomet Papa authoritatem Concilii cujusdam Generalis ſomniavit unquam, aut profeſſus eſt? Num ſorte *Martinus V.* approbans *Conc. Conſtantienſis* decreta, illud etiam *Seſſ. 4 & 5.* ratum habuit ſuoque probavit aſſenſu? Hic forte lapis offenſionis eſt, hæc petra ſcandali. At vero, qua ratione ſic ſibi conſtaret *Martinus*, qui *Paulo Voladurino* Poloniæ legato, cum hic advertens damnationem libelli *Joannis Falckembergh* in Con. Conſtantienſi per Pontificem non fore publicandam, in vocem appellationis ad futurum Concilium erumperet, ſilentium ſub pœna excommunicationis indixit, atque hac occaſione, teſte *Joanne Gerſon*, in Conſiſtorio Publico

blico Ann. 1418. *Constantiæ* constitutionem edidit? *Nulli*, ait, *fas est a supremo judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, Jesu Christi Vicario in terris, appellare, aut illius judicium in caussis fidei, quæ tanquam majores ad ipsum, & ad Sedem Apostolicam referendæ sunt, declinare.* Neque aliter sensit *Martini* Successor, *Eugenius* ipse, qui in literis die 22. Julii Ann. 1446. ad suos in Germania Nuntios directis, *Concilium* quidem *Basileense usque ad ejus translationem cum omni reverentia, & devotione a se suscipi* profitetur, *absque tamen*, ut addit, *præjudicio juris, dignitatis, & Præeminentiæ Sanctæ Sedis Apostolicæ, ac potestatis sibi, & in eadem canonice sedenti in persona B. Petri a Christo concessæ.* Et quis quæso in animum induxerit, ut credat *Fridericum III.*; & Electores Imperii de vexatissima illa controversia, quæ non nisi sequiori ætati juniores suos natales debet, multum fuisse sollicitos? quis, inquam, tam iniquæ mentis est, ut gloriosissimos Principes eo ipso tempore, quo unionem cum Pastore legitimo meditabantur, & pacem, voluisse altero pacis stabiliendæ articulo, ad id pudoris, ac probri adigere *Eugenium*, ut justam fuisse sui, ratamque, *Sess.* 34. temeritate Basiliensium attentatam, a Papatu depositionem, hac agendi ratione exercite consisteretur? Quis iterum sanæ mentis homo, persuadere sibi ulla ratione poterit, intendisse unquam *Eugenium* tam insignem sedis suæ prærogativam, magnificis æque prædecessorum suorum elogiis, ac solemnissimis Patrum, ipsorumque Conciliorum Generalium præconiis, & testimoniis assertam, uno quasi jactu prodigere, solo hoc, levique emolumento, ut immenso quasi persoluto lytro a neutrarum partium Natione germanica, suspensam tantisper tiaram redimeret? — Momentis hisce, aliisque, quæ addere possemus, rite perpensis, nos sententiam, quæ Concilio quovis Generali superiorem agnoscit Romanum Pontificem, certum, & indubitatum, atque ab universali Ecclesia agnitum, *salvis* etiam *legibus Imperii fundamentalibus, tanquam boni, ac sinceri Germani defendere* omnino, ac propugnare *audemus.*

§. XXVI.

Discordiam componere tentarunt judices, atque ut aliquod e singulis diœcesibus Episcopi una cum *Anatolio*, & legatis in oratorio *S. Euphemiæ* de fide tractarent, postularunt. Reclamarunt cæteri Episcopi, nihil definitioni addendum, pertinacissime contendentes. *Omnibus*, ajunt, *definitio placuit. Ista definitio orthodoxorum est. Petimus, ut definitio subscribatur coram sanctis Evangeliis. Spiritus sanctus definitionem dictavit. Qui non subscribit, hæreticus est.* Illustrissimi judices dixerunt: *Dioscorus dicebat, propter hoc se damnasse Flavianum, quia duas naturas ajebat esse: definitio autem ex duabus naturis habet.* (a) Interrogarunt dein, num Epistolam *S. Leonis* susciperent? Responderunt:

Etiam suscipimus, & subscripsimus. Cum vero urgerentur, ut definitioni finerent inferi, quæ laudata continebantur Epistola, exclamarunt: *altera definitio non fiat, nihil deest definitioni. Epistolam definitio firmavit, Archiepiscopus Leo, ut credimus, sic credit. Definitio subscribatur. Definitio habet omnia. Definitio fidem habet. Leo eadem dixit, quæ & Cyrillus.* Re ad Imperatorem delata, jussit ille, ut Episcopi selecti de fide recte constituerent, quibus consentirent cæteri, aut quisque per suum Metropolitam, fidem sine ullis ambagibus exponeret, alioquin Synodum in occidente scirent celebrandam. His per *Beronicianum* S. consistorii secretarium significatis, clamarunt Episcopi: *aut definitio persistat, aut discedimus. Qui contradicunt, manifesti sunt. Qui contradicunt, Nestoriani sunt; qui contradicunt, Romam ambulent.* (b) Necdum sopita concertatione illustrissimi judices dixerunt: *Dioscorus dicebat, quod ex duabus naturis est, suscipio: Leo autem duas esse naturas dicit in Christo unitas inconfuse. Quem autem sequimini? Leonem, an Dioscorum?* Responderunt Episcopi: *ut Leo, sic credimus. Qui contradicunt Eutychianistæ sunt: Leo recte exposuit.* Judices dixerunt: *ergo addite definitioni secundum judicium sanctissimi Patris nostri Leonis, duas esse in Christo naturas unitas inconvertibiliter, inseparabiliter, & inconfuse.*

(a) Statim hic interlocutus est, *Anatolius* dicens: *Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni, & tertio vocatus est, & non venit, & ideo damnatus est.* Et revera in depositione illius *Act.* 2. pro causa non assignatur hæresis, sed quod *Eutychen* in communionem receperit, Epistolam *Leonis* Ephesi legi vetuerit, *Leonem* excommunicarit, & ter citatus Synodum non accesserit. Sed palam suffragatum esse *Eutychetis* errori *Dioscorum* ex actis hujus Concilii constat. *Manifeste*, ait *Act.* 1, *ideo damnatus est Flavianus, quoniam post adunationem duas dixit naturas. Ego autem habeo testimonia sanctorum Patrum, quia non oportet dicere post adunationem duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Iterum: *Ecce hoc*, inquit, *reprehendo, quia post unionem non sunt duæ naturæ.* Hinc *S. Leo* Epist. 63. ad *Theodoret.* eum tum aliorum scelerum, tum hæreseos reum fuisse, atque propterea damnatum, diserte significat. Vel igitur *Anatolius*, eoquod *Dioscoro*, cujus olim Apocrisiarius erat, nonnihil faveret, ea dixit, vel certe per imprudentiam verba illa viro exciderunt. Minime tamen inde inferendum est, *Anatolium* simul hæresi favisse *Dioscori*, utpote quam cum aliis Patribus in hac Synodo aperte damnaverat. In sententia porro *Act.* 2. contra *Dioscorum* a legatis lata, satis notatur ejusdem hæresis. *Eutychi* quippe *similia sapere, & secundis excessibus priorem iniquitatem (pravitatem hæreticam)* dicitur *transcendisse.*

(b) Ver-

(b) Verborum ſenſus omnino videtur hic eſſe: *Nobis ſic placet: qui acquiescere nolunt, Romam ambulent, ibi cauſam ſuam agant, Leonem appellent, ejusque ſententiam præſtolentur.* &c. Tantum ergo abeſt, ut Synodum Papæ ſubjectam negaverint illi Episcopi, quin potius id manifeſte profeſſi fuerint. Ne autem gratis id dixiſſe videar, motivum ita ſentiendi ſuppeditat Synodus Generalis VIII, in qua *Act.* 4. ut *Photii* Synodo parere nolentis contumaciam frangeret *Bahanes* Patritius, ſic eum affatus eſt: *loquere Domine Photi! quodcunque habes juſtitiæ opus: totus mundus hic eſt, ne claudat viſcera ſua, ſancta univerſalis Synodus. Quo namque vis ex hoc confugere? Romam? Ecce! a Roma: in Orientem? Ecce! ab Oriente hic adſunt. Vide ne claudatur janua; ſi iſti clauſerint, nemo eſt, qui aperiat.* Sicut ergo patente Patritio, nec obloquente Synodo, fas erat appellare *Hadrianum II*, ſic & patentibus illis Episcopis, permiſſum erat a Synodo IV. provocare ad *Leonem I*, Et nunquid ipſimet illi Episcopi dicunt: *Leo eadem dixit: ut Leo, ſic credimus?*

§. XXVII.

Facta dein collatione cum delectis Epiſcopis in oratorio *S. Euphemiæ*, præſentibus etiam illuſtriſſimis judicibus, formula fidei omnium votis ita concepta eſt, ut *S. Leonis* Epiſtola diſerte recepta ſit, *ut Magni illius Petri confeſſioni congruens, & communis quædam columna exiſtens adverſus perverſe ſentientes, ad confirmationem rectorum dogmatum congruenter aptata.* Inſerta etiam definitioni fidei, illa ex Epiſtola *S. Leonis* verba depromta: *Chriſtum, filium, dominum, unigenitum, ex duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum, nusquam ſublata differentia naturarum propter unitionem, magisque ſalva proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam, atque ſubſiſtentiam concurrente*, profitemur. Lecta hac coram univerſa Synodo definitione, omnes clamarunt Epiſcopi: *hæc fides Apoſtolorum: huic omnes conſentimus. Metropolitani modo ſubſcribant.* (a) Illuſtriſſimi judices dixerunt: *Quæ a ſanctis Patribus ſtatuta ſunt, & omnibus placuerunt, manifeſta fiant divino vertici.* (b)

(a) En! Vicere tandem Romanæ Sedis legati, atque juxta eorum voluntatem, definitionem ſuam reformarunt Patres Synodi! Quis jam, amabo! majorem præ ſe tulit auctoritatem? Synodusne, quæ demum in *Leonis* verba juravit, an Papa, qui per ſuos legatos, definitionem Synodi, communi adeo Episcoporum plauſu exceptam, ut hæreticum dicerent, qui illam reſpueret, de facto reſpuit, rejecit, ac reformatam voluit? Id profecto demonſtravit *Leo*, noluiſſe ſe, definitiones ſuas arbitrario Synodi examini ſubjicere ita, ut in illius poteſtate foret, quædam ſeu omittere,

ſeu

ſeu rejicere, unde nequaquam judicandum eſt, quod, dum Epiſtolam *S. Leonis* cum præcedentium Conciliorum Symbolis contulit Synodus hæc *Chalcedonenſis*, de ejusdem orthodoxia dubitare, ac judicium de ea tanquam ſuperior inſtituere potuerit. Ex iis porro, quæ ante Concilium hoc, & uſque ad finem ejus, geſta ſunt, liquido conſtat, Epiſtolam *Leonis*, tanquam fidei definiendæ tutiſſimam regulam, obſervari debuiſſe, atque ipſum *S. Leonem*, quæ facienda erant, ſumma authoritate imperaſſe. Si qui vero Dogmaticæ *S. Leonis* Epiſtolæ, renuerint pertinaciter ſubſcribere, tam futilis & iniqua erat eorum dubitatio, ut eos ad hoc *a diſſenſionum auctore incitatos* merito dixerit *S. Leo Epiſt.* 65. *ad Theodoret. Inventi*, inquit ibidem *Leo, prius ſunt, qui de judiciis noſtris ambigerent. Et dum nonnulli a diſſenſionum incitati auctore, ad contradictionis bella proſiliunt, ad majus bonum perventum eſt.*

(b) Debetur enim absque omni dubio ſummis Imperantibus, tanquam Eccleſiæ ſupremis Advocatis, ea honoris, ac reverentiæ ſignificatio, ut, quæ in Synodo conduntur, fidei decreta, eorum obtutui præſententur. Non quidem, ut illorum in idem epiſcoporum placitum, conſenſus, aut promulgandi conſtitutionem mere dogmaticam impetretur licentia, quippe quam ex indole ſua reſpuit illa; ſed, ut, quid orthodoxa fides, cujus vindices, ac protectores ſunt, habeat, ipſis innotescat. Appoſite hanc in rem ait *S. Gregor. Nazian. Orat.* 17. *An me libere loquentem* (principes, & præfecti) *æquo animo ferretis: nam vos quoque imperio meo, ac tribunali lex Chriſti ſubjicit.*

§. XXVIII.

Act. 6. *Marcianus* Imperator, qui præſens aderat, elegantem ad Synodum ſermonem habuit. *Nos*, ait inter alia, *ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam*, (a) *exemplo religioſiſſimi principis Conſtantini, Synodo intereſſe voluimus, ut inventa veritate, non ultra multitudo, pravis doctrinis attracta diſcordet. Studium enim noſtrum eſt, ut omnis populus per veram, & ſanctam doctrinam unum ſentiens, veram fidem Catholicam colat, quam ſecundum inſtitutiones Patrum exponere concordantibus animis religio veſtra feſtinet.* Imperatori, ubi loqui ceſſavit, acclamarunt omnes: *Marciano, novo Conſtantino, multos annos! Auguſtæ orthodoxæ multos annos!* perlecta dein definitione fidei, uno ore clamarunt Epiſcopi: *Neſtorio, & Eutychi, & Dioſcoro anathema. Trinitas hos tres damnavit, Trinitas hos tres ejecit.* Subſcripſerunt poſtea Epiſcopi, & quidem primo loco *Leonis* legati. *Paſchaſinus Epiſcopus, Vicarius Domini mei beatiſſimi, atque Apoſtolici univerſalis Eccleſiæ Papæ urbis Romæ Leonis, Synodo præſidens, ſtatui, & ſubſcripſi.* Gratulatoriis

tum

tum denuo acclamationibus, *Marcianum*, & *Puleberiam* Augustam prosecuti sunt Patres. Imperator in laicos exilium, in clericos depositionem, in milites exauctorationem decrevit, si Ecclesiam, disputando de fide turbarent. *Siquis*, sancit, *idiota, vel militaris, seu clericus, publice de fide turbam congregans, sub obtentu disputationis tumultum fecerit; siquidem idiota sit, ab urbe regia expelletur: militaris vero & clericus gradus sui periculum sustinebunt, & pœnis aliis subjacebunt.* (b)

(a) En! Genuina Regum, ac principum in Ecclesia Dei munia! Ecclesiam protegunt, non regunt, fidei dogmata tuentur, non docent, canones exequuntur, non condunt, legum divinarum, & ecclesiasticarum urgent, eademque legibus statuunt suis, quæ divina, vel ecclesiastica lex jubet. *Ad Sacerdotes* quippe, ut scribit *Avitus Viennens.* in suis Epist. *Deus voluit, quæ in Ecclesia disponenda sunt, pertinere, non ad Sæculi potestates, quas, si fideles sint, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus, voluit esse subjectas.*

(b) Regio quippe nomine dignum est, Hæreticos, & Schismaticos coercere, atque ad unitatem Ecclesiæ compellere. *Debes*, scribit ad *Leon.* Imp. Epist. 81. *Leo M., debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, ea, quæ bene sunt statuta, defendas, & veram pacem iis, quæ sunt turbata, restituas.* Habet quidem *Petri* Gladium, *Petri* Successor, Romanus Pontifex; sed hic spiritualis est, quem non metuunt tam facile, qui per hæresin, aut schisma carnales fiunt: habent & cæteri orbis antistites disciplinæ nervum, & censuras medicinales vibrare possunt adversum contumaces; sed hominibus in suo sensu abundantibus, & alta sapientibus raro sufficiunt, nisi sæculares Episcopis suppetiæ adveniant. Agnovit hoc jam olim *S. Augustinus*, priorem mentem retractans. *Mea primitus*, inquit Epist. 93. ad *Vincent.*, *Sententia non erat, nisi neminem ad unitatem Christi esse cogendum; verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum Imperialium conversa est, quam nunc videmus ita hujus vestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur.* Hæc Africæ lumen, *Augustinus*.

§. XXIX.

Capitula post hæc quædam, a Synodo probanda, proposuit *Marcianus*. *Quædam*, ait, *capitula sunt, quæ ad honorem vestræ reverentiæ vobis servavimus, decorum esse judicantes, a vobis hæc regulariter potius formari per Synodum, quam nostra lege sanciri.* Lecta sunt jussu

Mar-

Marciani, dicta capitula *Primum* vetat monachis, ne præter Episcopi voluntatem, construant monasteria, & ne servos absque consensu dominorum, in ea suscipiant. *Alterum* clericis prohibet, ne possessiones conducant, aut procurationem in se recipiant. *Tertio* cavetur, ne iidem ex sua ecclesia in aliam transeant. His lectis acclamarunt Episcopi: *sacerdoti Imperatori multos annos!* (a) *Chalcedonensem* demum civitatem, in memoriam celebratæ ibidem Synodi, in Metropolim, salva tamen *Nicomediæ* propria dignitate, Imperator evexit. Huic postea supplicarunt Episcopi, ut sibi ad propria reverti liceret. *Marcianus* respondit: *sustinete tres adhuc, aut quatuor dies, & præsentibus nostris judicibus, quæcunque vultis, movete, competens adepturi solatium.* (b)

(a) Ex sola reverentia erga Synodum, non ex officio; tria illa, quæ meram disciplinam spectabant, capita, Patribus statuenda reservavit piissimus Imperator. Potuisset enim tanquam vindex, & conservator disciplinæ, de his omni jure decernere, præsertim quod pax, bonumque Imperii exigat, ut suo se quisque in ordine contineat, nec, ulli inferat injuriam.

(b) Non tam potestatem in ipsam Synodum hoc modo, quam munificentiam exercuit Imperator. Cum enim pertractanda futuris actionibus superessent plura, ex suasu procul dubio aliorum, maxime legatorum, jussit remanere Episcopos, discessum meditantes, subministrando interim sumtus, & alimenta.

§. XXX

Act. 8. revocata ad examen fuit caussa *Theodoreti* Cyrensis *Ep.*, tyrannide *Dioscori*, sua sede pulsi. *Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Theodoretus modo anathematizet Nestorium.* Postulavit ille, ut libelli supplices, quos Imperatori, & legatis obtulerat, legerentur. Dixerunt Episcopi: *nihil relegi volumus: modo anathematiza Nestorium. Theodoretus* reposuit: *non solum Nestorium, & Eutychem, sed & omnem hominem, qui recte non sapit, aversor, & alienum existimo.* Non acquiescunt Patres, sed ut *clare diceret anathema Nestorio, & dogmatibus ejus*, jubent. Respondit *Theodoretus: Nestorium, & Eutychem, & omnem hominem dicentem, vel opinantem duos filios, anathematizo.* Dixit hæc, & *Episcopi clamaverunt*: dic *aperte anathema Nestorio, & qui ea, quæ ejus sunt, sapiunt. Ego*, subdit ille, *nisi exposuero, quomodo credo, non dico. Credo autem* ... loquentem his vocibus turbant Patres: *iste hæreticus est, iste Nestorianus est. Hæreticum foras mitte. Theodoretus* dixit: *anathema Nestorio, & ei, qui non dicit Dei Genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum Filium unigenitum. Ego autem & fidei definitioni*

tioni subscripsi, & epistolæ sanctissimi Archiepiscopi, Domini Leonis, & sic sapio. Judices dixerunt: *omnis jam dubitatio de Theodoreto, reverendissimo Episcopo, est soluta. Deest igitur, ut sententia proferatur a Reverentia vestra, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut & Archiepiscopus Leo judicavit.* Omnes clamarunt Episcopi: *Theodoretus dignus est Sede Ecclesiæ: orthodoxum Ecclesia pastorem recipiat. Theodoreto Catholico Doctori reddatur Ecclesia.* Legati dixerunt: *hoc judicio sanctissima Synodus, insuper vero & nostra humilitas reddi ei Ecclesiam propriam definivit.*

(a) En! *Theodoretum* dudum jam *S. Leo* in communionem suscepit, eique episcopatum restituit, nihilominus Synodus hæc caussam ipsius retractare voluit, nec prius orthodoxum habuit, quam aperte anathema in *Nestorium* pronuntiaret? Nonne hoc agendi modo nec Papam infallibilem, nec se eo inferiorem esse, censuit? — — Verum & hæc ex ipsa gestorum Synodi serie, satis diluuntur. Certe cum *S. Leo*, ut de *Eutychetis* caussa in *secunda Ephesina Synodo* Patres cognoscerent, indulserit, eodem simul tempore ad eandem Synodum perscripsit, se, quid faciendum esset, suis legatis mandasse. Illis dein ad *Synodum Chalcedonensem* destinatis imperavit, Dioscorum ut reum considerandum, neque inter alios Patres sedendi prærogativam, eidem concedendam. *Præcepta*, ajunt *Act.* 1. legati, *habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur.* Ex sola igitur, quam in ipsum protulerat, sententia, voluit eum considerari a Synodo, ut juste damnatum, unde nec mirum est, quod legati *Act.* 3. Episcopos interrogaverint: *jubet Religiositas vestra, ut ecclesiastica ultione adversus eum* (Dioscorum) *utamur? Consentitis?* Cum enim vellet *S. Leo* Synodali etiam judicio, reum denuntiari *Dioscorum*, oportuit omnino Patrum suffragia rogare. Ut vero postea in damnatione *Dioscori*, Papæ præemineret authoritas, pronuntiata fuit *Leonis* nomine sententia. *Archiepiscopus Leo*, ajunt legati, *per nos, & per præsentem sanctam Synodum, nudavit eum episcopatus dignitate.* Similiter cum eidem Synodo caussam *Theodoreti* retractare non prohibuerit *Leo*, novum institui judicium visum est, præsertim quod ejus temporis disciplina haberet, ut suspecti de hæresi, hanc, ejusque auctorem damnarent, antequam catholica communione donarentur. Suspicione autem *Nestorianæ* hæreseos, quod duodecim *S. Cyrilli* capitula in *Nestorium* impugnaverit, laborabat *Theodoretus* quam impugnationem inita pace inter Orientales, & *S. Cyrillum*, non retractaverat. Ægerrime etiam tulerat anathema dictum a *Joanne Antiocheno* in *Nestorium*, cui, sicet Ephesinæ Synodi, & totius Ecclesiæ consensu, damnato, se addictissimum professus fuerat. At neque rem hanc displicuisse *S. Leoni*, satis inde constat, quod *Epist.* 63. gratulatus fuerit *Theodoreto*, Sedis Apostolicæ de ipso judicium, fuisse per Synodum confirmatum. Nec credibile est tacuisse legatos, si ille procedendi modus, Romani Pontificis

 supre-

ſupremæ auctoritati vel leviſſimum inferre potuiſſet præjudicium. Quo interim in pretio haberetur, *Theodoretum* in communionem jam antea a *S. Leone* fuiſſe receptum, *Act.* 8. teſtatum fecere judices, potiſſimum eo ex capite ſuæ illum Eccleſiæ reſtituendum eſſe judicantes, quod *S. Leonis* Epiſtolæ ſubſcripſerit, atque in communionem ab eo fuerit receptus. Adhæc eadem cauſſa movit legatos, quando reddendam *Theodoreto* Eccleſiam decernebant. Neque omittendum, illos proprio, non Synodi nomine, tuliſſe ſententiam, ut notum ſic fieret, peculiari ſe, tanquam Papæ legatos, poteſtate frui. *Hoc*, ajunt, *judicio, ſanctiſſima, & venerandiſſima Synodus, inſuper vero & noſtra humilitas reddi ei Eccleſiam propriam definivit.*

§. XXXI.

Neque prætermittenda hoc loco eſt alia, quam ad *Theodoretum* laudatiſſimus Pontifex dedit, Epiſtola, ordine 65. *Gloriamur* inquit, *in domino ... qui nullum nos in fratribus noſtris detrimentum ſuſtinere permiſit; ſed quæ noſtro prius miniſterio definierat, univerſæ fraternitatis irretractabili firmavit aſſenſu, ut vere a ſe prodiiſſe oſtenderet, quod prius a prima omnium ſede formatum, totius chriſtiani orbis judicium recepiſſet; ut in hoc quoque capiti membra concordent: in quo amplius nobis accreſcit gaudendi materia, dum & tanto magis ſe perculit inimicus, quanto contra Chriſti miniſtros ſævius inſurrexit.* (a) *Nam ne aliarum ſedium ad eam, quam cæteris omnium dominus ſtatuit præſidere, conſenſus aſſentationis videretur, aut alia quælibet ſubreperet adverſa ſuſpicio, inventi prius ſunt, qui de judiciis noſtris ambigerent. Et dum nonnulli a diſſenſionum incitati auctore, ad contradictionis bella proſiliunt, ad majus bonum, malum ejus auctore totius bonitatis diſpenſante, perventum eſt. Dulcius ſiquidem munera gratiæ divinæ proveniunt, quoties non ſine magnis ſudoribus acquiruntur. Ipſa quoque veritas & clarius reniteſcit, & fortius retinetur, dum, quæ fides prius docuerat, poſtea examinatio confirmavet. Multum denique ſacerdotalis officii meritum ſplendeſcit, ubi ſic ſummorum ſervatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quanto ad hoc ſe accipit exerendi fiducia, ut vincatur adverſitas, ne, quod per ſe probatur reprobum, ſilentii præjudicio videatur oppreſſum.* Hucusque *S. Leo*, qui & inferius addit: *cum & in Apoſtolicæ Sedis Epiſtola, univerſalis ſanctæ Synodi aſſenſu firmata, tanta divinæ auctoritatis teſtimonia noverimus eſſe congeſta, ut nullus queat ulterius dubitare, niſi qui ſibimetipſi errorum tenebras inferre maluerit.*

(a) En! ajunt, majorem Synodo Oecumenicæ, quam ſibi, auctoritatem vindicat *S. Leo!* ſuffragii duntaxat prærogativam ſibi aſſerit, non irreformabile

bile judicium; tunc demum Epistolam suam ad dogmatis dignitatem evectam fatetur, quando *universæ fraternitatis irretractabili assensu firmata* fuit?— Verum quod irretractabilem sua Epistola auctoritatem nacta fuerit per assensum Synodi præcise, *S. Leo* nec credidit, nec affirmare intendit. Immemor certe esse non poterat eorum, quæ hactenus in caussa hac, vel egit ipse, vel fieri ab aliis jussit. Nolle se *Entychetis* caussam, tanquam rem dubiam, a Synodo discuti, sed damnari, nisi resipiscat, hominem. *Epist.* 12. rescribit *Theodosio*, addens catholicam de incarnatione fidem se exposuisse in Epistola ad *Flavianum*. Idem *Epist.* 15. *ad Synod Ephes.*, non id, quod examine indigeat, proponit, sed quid a Synodo præstandum, tanquam a se antea discussum, præscribit. *Primitus*, ait, *pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, restitutione tractetur, si tamen veritatis doctrinam complectens, sensus hæreticos damnaverit.* Idem *S. Leo Epist.* 61. ad *Julianum Coensem Ep.* ita scribit: *Ad quam rem nostros post diem venerabilem paschæ dirigemus, qui tecum participato consilio, ea, quæ a nobis constituta fuerint, exequantur.* Idem ipse *Leo*, antequam cœpta foret *Chalcedonensis Synodus*, ab *Anatolio* Cpltano Ep. exigit, ut suæ ad *Flavianum* Epistolæ absque ulla restrictione, aut tergiversatione subscribat. *Catholicorum*, inquit, *sententiis toto corde consentiat, ita ut sinceram communionis fidei professionem absolutissima subscriptione coram omni clero, & universa plebe declaret.* Et nunquid, qui suis mandaverat legatis, ne in dubium revocari sinerent, quæ jam ante definiit, qui de rebus a se decisis vel disceptare vetuit, inconcussa, & irretractabili eas veritate niti judicavit? Verum quid in ipsa ad *Theodoretum* Epistola *S. Leo* dicat, juvat expendere. Assererat sane ibidem, ea, quæ in sua ad *Flavianum* Epistola definierat, suo Christum ipsum ministerio definiisse; num igitur aliquid auctoritatis deesse iis, quæ a Deo ipso definita pronuntiavit, credere poterat S. Pontifex? Commemorat inventos esse, qui de suis *judiciis ambigerent*; sed *incitatos* fuisse *a dissensionem authore* subdit: ubi vero dubium de iis, quæ jam prius definierat, non nisi diabolo suggerente oriri potuisse affirmat, liquido demonstrat, nullam deciso a se dogmati firmitatem potuisse deficere. Et nunquid fidem ipsam docuisse, quæ postea examinatio confirmavit, diserte in recitata Epistola docet *S. Leo? Ipsa*, ait, *veritas & claritas renitescit, & fortius retinetur, dum, quæ fides prius docuerat, postea examinatio confirmaret.* Quodsi autem fide dictante, definierit *Leo*, ejus certe definitioni nulla firmitas, nullumque deesse poterat robur. Dum itaque ea, quæ in Epistola dogmatica ad *Flavianum* definiit, irretractabili *Synodi Chalcedonensis* assensu firmata pronuntiat, aliud nihil intelligere potuit, nisi in eandem secum sententiam abiisse Concilii Patres, eamque irretractabilem esse, quod, cum suo adhæserit capiti, obnoxium errandi periculo non fuerit Concilium. Fortassis & eo sensu definitioni suæ, quamvis infallibili, firmitatem ex Consensu Synodi accessisse, intelligere potuit Pontifex, eo quod & hac

 agen-

agendi ratione, nulla prorsus illis, qui sibi definienti noluissent obtemperare, superesse potuerit obstinationis suae, & pertinaciae excusatio, quando declarato a Pontifice dogmati, consensum plenarii Concilii additum esse, inficiari omnino nequibant. Sed neque aliorum approbatio, seu confirmatio ampliorem semper auctoritatis gradum importat. Oecumenica Concilia totius Ecclesiae consensione firmari, ait *L. 5. Facundus Hermianensis*, & *Nicaenae Synodi* sententiam comprobasse orbem terrarum, testatur *S. Joannes Chrysost. Homil.* 52: an igitur omnimoda idcirco infallibilitate ante orbis consensum non gaudent Oecumenica Ecclesiae Concilia? At opus non est ab hoc ipso *Concilio Chalcedonensi* discedere, ut ex aliorum confirmatione, non proprie semper argui posse, auctoritatis augmentum, dignoscamus. Indubitatam illico, ubi *S. Leonis* confirmatio accessit, auctoritatem sortita fuit Synodus illa, Patrum numero celeberrima, & tamen *Leo* Imp. non solum omnium orientis Episcoporum, ut refert *Liberatus in Breviar. C.* 14., sed & Monachorum sanctitatis fama florentium approbatione, veluti testatur *Evagrius L. 2. H. E. C.* 9., roborari voluit. Quemadmodum ergo *Concilii Chalcedonensis* decreta, antequam hi & illi vellent ea esse irretractabiliter custodienda, vim ineluctabilis, omnimodaeque firmitatis consecuta sunt, sic & de dogmatica *Leonis* epistola, necdum etiam Synodi consensu firmata, discurrendum est. Et sicut illi suis subscriptionibus Concilium confirmando, nihil praestiterunt aliud, quam quod propriae confessionis exhibuerint testimonium, & sicut hoc duntaxat sensu roborarunt Concilium, quod omnem se se tuendi viam praecluserint obstinatis, cum probatas ab omnibus Concilii definitiones conspicerent, ita & eodem plane modo dicendum est. *Synodi Chalcedonensis* Patres, *Leonis* Epistolam subscriptione sua roborasse, confirmasse & irretractabilem effecisse.

§. XXXII.

Act. 15. absentibus Sedis Apostolicae legatis, & illustrissimis judicibus, plures a Patribus conditi sunt canones. (a) Graeci codices triginta numerant, latini viginti & octo, quorum postremus sic habet: *sanctorum Patrum decreta ubique secuti, & canonem, qui nuper lectus est, centum quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum recensentes, eadem quoque & nos decernimus, ac statuimus de privilegiis sanctissimae Ecclesiae Constantinopoleos, novae Romae. Etenim antiquae Romae throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti* 150. *Dei amantissimi Episcopi, sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt, recte judicantes, urbem, quae & imperio & senatu honorata sit, & aequalibus cum antiquissima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis non secus, ac illam extolli, & magnifieri,* secun-

secundam post illam existentem: ut & ponticæ, & asianæ, & thraciæ Metropolitani soli, præterea Episcopi diœcesium, quæ sunt inter barbaros, a throno Cpltanæ Ecclesiæ ordinentur, unoquoque scilicet Metropolitano cum provinciæ Episcopis, provinciæ Episcopos ordinante, quemadmodum divinis canonibus est traditum; ordinari autem, sicut dictum est, prædictarum diœcesium Metropolitanos a Cpltano Archiepiscopo consonis electionibus de more factis, & ad ipsum relatis.

(a) Notatu digni præcipue sunt *Canon* 14. & 16. Hoc statuitur *Virginem, quæ se Deo consecravit, similiter & Monachum, non licere nuptialia jura contrahere. Quodsi hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur.* Monachorum itaque & Monialium conjugia prohibet quidem, sed non dirimit canon iste. Cum enim omnino nihil dicat de separatione matrimonii contra emissa vota contracti, sed eos duntaxat ob votorum violationem jubeat segregari, videtur vota hujusmodi tempore hujus Synodi, reputata non fuisse inter impedimenta dirimentia, sed impedientia tantum, in quibus ipse loci Episcopus, saltem quo ad pœnam a Canonibus inflictam, poterat dispensare. Alter hujus tenoris est: *quoniam in quibusdam Provinciis concessum est lectoribus, & psaltis uxores ducere, statuit sancta Synodus, non licere cuiquam ex his accipere sectæ alterius uxorem* &c. *Siquis autem hanc definitionem sanctæ Synodi transgressus fuerit, correptioni canonicæ subjacebit.* Patet exinde licitum non fuisse tum temporis, nequidem apud Orientales, clericis in ordinibus sacris constitutis, uxores ducere, cum nequidem lectoribus & psalmistis fuerit ubique concessum.

§. XXXIII.

Act. 16. *Paschasinus* Sedis Apostolicæ legatus ad judices dixit: *heri post nostrum, vestrumque discessum quædam gesta dicuntur, quæ præter canones ecclesiasticos æstimamus effecta.* Petiit dein, ut judices hæc relegi præciperent; *ut omnis*, ait, *fraternitas inspiciat, utrum justa, an injusta sint ea, quæ gesta sunt.* Judices dixerunt: *siqua gesta post nostrum discessum facta sunt, relegantur. Ætius* Archidiaconus Ecclesiæ Cpltanæ dixit: *confitendum est, quia formam ea, quæ de fide sunt, congruam susceperunt: consuetudo autem est in Synodis, postquam ea, quæ sunt omnium præcipua, fuerint definita, & alia quædam necessaria exerceri, atque formari.* Lecto postea canone *Lucentius*, alter legatus dixit ad judices: *primo Gloria vestra perpendat, quia circumventione cum sanctis Episcopis gestum sit, ut non conscriptis canonibus, quorum mentionem fecerunt, subscribere sint coacti.* Hoc non passi Episcopi clamaverunt: *nemo coactus est.* Resumsit *Lucentius*: *accedit ad cumulum, quod trecentorum decem & octo*

con-

constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in Synodicis canonibus non habentur, mentionem tantum fecisse noscuntur, quæ dicunt ante octoginta prope annos constituta fuisse. Si ergo his temporibus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? si nunquam usi sunt, quare requirunt? (a) Postulante dein *Ætio* recitavit *Bonifacius* presbyter legatorum tertius, mandatum *Leonis* Papæ, quod ipsis ad Synodum tendentibus datum fuerat *Sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari, vel imminui, servantes omnimodis personæ nostræ in vobis, quos vice nostra trasmisimus, dignitatem. Ac si forte civitatum suarum splendore confisi aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc, qua dignum est constantia, retundatis.* (b) Gloriosissimi judices dixerunt: *utraque pars canones proponat.* Protulit *Paschasinus Canonem IV.*, *Con. Nicæni*, *Ætius* vero *Canonem III.*, *Con. Cpltani.* Judices dixerunt: *hi, qui relicto tomo* (Canone) *subscripserunt asiani & pontici sanctissimi Episcopi, dicant, si voluntate propria, vel imposita sibi aliqua necessitate coacti subscripserunt?* clamarunt universi: *sponte subscripsimus* Judices dixerunt: *ex his, quæ gesta sunt, & ab unoquoque deposita, perpendimus, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum secundum canones, antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari; oportere autem sanctissimum Archiepiscopum regiæ Cpolis novæ Romæ, ejusdem primatus honore frui, & ipsum dignum esse.* (c) Sed ne sua auctoritate velle canones edere viderentur, subjungunt: *hæc a nobis inspecta sunt. Quæ autem sibi videantur, sanctum & universale Concilium docere dignetur.* Clamaverunt Episcopi: *hæc justa sententia est: hoc justum decretum. Supplicamus, dimitte nos. Per salutem Imperatorum dimitte nos. Omnes in hac sententia permanemus, omnes eadem dicimus.* His auditis *Lucentius* dixit: *Sedes Apostolica nobis præsentibus humiliari non debet; & ideo quæcunque in præjudicium canonum, vel regularum, hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, ut circumduci jubeatis: sin alias, contradictio nostra his gestis inhæreat, ut noverimus, quid Apostolico viro, universalis Ecclesiæ Papæ, referre debeamus, ut ipse aut de suæ Sedis injuria, aut de canonum eversione possit ferre sententiam.* (d) Tum *Joannes Sebastiæ* Episcopus dixit: *omnes in sententia vestræ magnificentiæ permanemus.* Illustrissimi judices dixerunt: *quod interlocuti sumus, tota Synodus approbavit.*

(a) *Lucentium* hic conqueri, quod neglecto *Canone Nicæno VI*, *Canon Cpltanus III.* ab Ecclesia Romana hactenus nunquam receptus, assumtus fuerit, & renovatus, palam est. Constat pariter, neque tacite saltem in

præfatum Canonem consensisse Sedis Apostolicæ legatos, temetsi primum a legatis locum, in hoc *Consilio Chalcedonensi* occupaverit *Anatolius* Cpltanus Ep.

(b) Atque hoc ipsum est, quod *Epist.* 62. etiam ad *Maximum Antiochenum S. Leo* perscripserat. *Si quid*, ait, *ab his fratribus, quos ad S. Synodum vice mea misi, præter id, quod ad caussam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab Apostolica Sede sunt directi, ut excussis hæresibus, catholicæ essent fidei defensores.* Voluit itaque *S. Leo* id omne irritum haberi, quidquid statueret Synodus extra ea, quæ suis legatis mandaverat. Nequaquam igitur *in Epist. Synodica ad II. Synod. Ephesin.*, *Concilii judicium plenius* appellavit eo sensu, quasi illud a superiore potestate dimanare crederet, sed quod in majori numero ibi judices assiderent.

(c) Duo superius relato *Canone* 28. statuuntur in gratiam Ep. Cpltani. Confirmatur nempe *Canon.* 3. *Con. Cpltani* 150 Patrum, quo decernitur, ut *habeat honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea, quod urbs ipsa sit junior Roma;* dein & altera canonis parte ultra *primatum*, seu *prærogativam honoris*, attribuuntur simul eidem privilegia potestatis, & auctoritatis; tres scilicet Diœceses in unam conjunctæ ei subjiciuntur, quarum Metropolitanos ipse Ep. Cpltanus ordinaret. Itaque qui antea diœcesium istarum Exarchi fuerant, simplices constituuntur Metropolitani, ut Episcopus Cpltanus, qui prius nec Metropolitanus erat, ad Exarchi & Patriarchæ honorem, atque auctoritatem eveheretur. Duo insuper & falsa continet canon ille. Falsum namque est, quod *antiquæ Romæ throno Patres privilegia tribuerint;* quandoquidem Ecclesia Romana semper habuerit Primatum, ut proin illum Patrum favori acceptum referre non debeat: falsum pariter est, urbem illam, *quod imperaret*, Primatum nactam esse, veluti *S. Leo in Epist. ad Marcianum* solide ostendit. *Mediolanum* certe *Ravenna*, *Sirmium*, *Nicomedia*, Sedes erant Imperii, nec quidquam propterea prærogativæ iis Ecclesiis datum legitur.

(d) Si ex Constanti resistentia Patrum inferre velis, nequaquam agnovisse Synodum, se Papa inferiorem esse, ego vicissim ex inflexibili contradictione Romanæ Sedis legatorum deduco, superioritatem supra Generale Concilium, constanter fuisse Pontifici assertam.

§. XXXIV.

Gesta Synodi ad *Marcianum* transmisere Patres. *Vestrum*, ajunt, *decebat imperium, ut suæ circa sibi subjectos providentiæ initium sumeret ex his, quæ ad Deum pertinent... Deus in Romanæ Ecclesiæ Antistite propugnatorem nobis providit errore invulnerabilem.* (a) *Considere namque oportet vestrum pietatem, quia nihil præter fidem, quæ olim a sanctis Patribus*

tribus annuntiata est, venerabilis Romanus Pontifex innovavit. Atque ut nulla his, qui Apostolicum virum per invidiam lacerare nituntur, relinquatur occasio, consonantia epistolæ ejus Ss. Patrum testimonia, ad certiorem notitiam vestræ pietatis, ex multis pauca subdidimus. Vestrum, rogant porro, pro unanimi fidei confessione studium ostendite, malignorum quidem molimina refrænantes, omnibus vero piæ confessionis concordiam proponentes, & Cathedræ Petri prædicationem, velut sacrorum dogmatum signaculum per Synodum a vobis congregatam confirmantes. Synodi votis annuit Imperator. *Nulli*, sancit, *contra Chalcedonensem Synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere, vel aliorum dicta, vel scripta super eadem re proferre. Nemo hujusmodi habere libros sinatur. Quod si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur. Ultimo supplicio coerceantur, qui illicita docere tentaverint. Omnes chartæ, quæ Eutychis, & Apollinaris complexæ fuerint dogma, concrementur. Moderatores Provinciarum, si ea, quæ legis hujus sanctione decernimus, neglexerint, aut per conniventiam permiserint violari, denarum librarum auri mulctam fisco inferre cogantur, insuper existimationis suæ periculum sustinebunt.* (b)

(a) Deus itaque *S. Leonem* ab errore dogmatico immunem reddidit in sua Epistola dogmatica ad *Flavianum*. Nunquid inde infallibilitas Romanorum Pontificum merito concluditur? Recte omnino.— Sed nonne Deus *Cyrillum* quoque *Alexandrinum* in sua ad *Nestorium* Epistola *fecit errore invulnerabilem*?— Etiam Domine! ast modo plane diverso. Hunc quidem ex accidenti dono, personæ transeunter concesso, illos autem, Romanos nempe Pontifices, ex privilegio stabiliter Cathedræ affixo. *Ipsa* enim *est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ*, ut ait *S. Augustin.* cont. *Donat. C.* 7.

(b) Igitur qui Concilii decreta sine sua confirmatione non reliquit, *Marcianus* Imp., eisdem se subditum agnoscendo, nil aliud Augustorum Principum confirmatione fieri ostendit, quam ipsorum executionem promoveri, eosque sua Ecclesiæ, cujus nobilissima sunt portio, auctoritate inservire velle. *De vobis autem laicis*, apposite *in Act. Synod. Act.* 10. perorat *Basilius Imp., tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam, non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati, & universali Synodo adversari. Hoc enim investigare, & quærere, Patriarcharum Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi & solvendi potestatem habent, qui ecclesiasticas & cœlestes adepti sunt claves, non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus.*

§. XXXV.

§. XXXV.

Synodicam pariter epiſtolam ad *S. Leonem* dedere Patres. *Si*, inquiunt, *ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine ejus, ibi ſe in medio eorum fore* Chriſtus, *perhibuit, quantam circa quingentos viginti ſacerdotes familiaritatem potuit demonſtrare, quibus tu quidem, ſicut membris caput, præeras in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens; Imperatores vero fideles ad ordinandum decentiſſime præſidebant, ſicut Zorobabel & Jeſus, Eccleſiæ, tanquam Jeruſalem, ædificationem, circa dogmata renovare annitentes* (a) Dioſcorus *contra ipſum, cui vineæ cuſtodia a Salvatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, id eſt, contra tuam quoque ſanctitatem, & excommunicationem meditatus eſt contra te, qui corpus Eccleſiæ unire feſtinas.* (b) *Hæc ſunt, quæ tecum, qui ſpiritu præſens eras, effecimus.* (c) *Confirmavimus autem & 150. Ss. Patrum regulam, qui Cpoli congregati ſunt ſub piæ memoriæ Majore Theodoſio, quæ præcipit poſt veſtram ſanctiſſimam, & Apoſtolicam Sedem, honorem habere Cpltanam. . . Qui* autem *locum veſtræ ſanctitatis obtinent ſanctiſſimi Epiſcopi, Paſchaſinus & Lucentius, & qui cum ipſis eſt, reverendiſſimus Presbyter Bonifacius, his ita conſtitutis vehementer reſiſtere tentaverunt, procul dubio a veſtra providentia inchoari & hoc bonum volentes, ut ſicut fidei, ſic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Nos enim curantes tam piiſſimos, & Chriſti amicos Imperatores, qui ſuper hoc delectantur, quam clariſſimum ſenatum, & totam Imperii civitatem, opportunum credidimus eſſe, honoris ejus confirmationem ab univerſali Concilio celebrari, & velut hæc a tua ſanctitate fuerint inchoata, eoquod favere ſemper ſtudeas, roboravimus, præſumentes, dum noverimus, quia quidquid rectitudinis a filiis fit, ad patres recurrit. Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora judicium, & ſicut nos capiti in bonis adjicimus conſonantiam, ſic & ſummitas tua filiis, quod decet, adimpleat .... ut autem cognoſcatis, quia nihil gratiæ, aut inimicitiæ cauſſa fecimus, ſed ut nutu divino gubernati, omnem vobis geſtorum vim inſinuavimus, ad mutuam conſpirationem, & eorum, quæ geſta ſunt, confirmationem, ac conſenſionem.* (d)

(a) En! duplex diſtinguunt Patres Chalcedonenſes Concilii Præſidium! unum *civile* & *politicum*, a principibus ſæculi ad exteriorem ordinem, alterum *ſacrum*, & *hierarchicum*, a Summo Pontifice exercendum!

(b) En! *Vineæ cuſtodem* a Chriſto conſtitutum, venerantur Patres Pontificem! En! *ut caput membris*, ita *S. Leonem* Synodo præfuiſſe deprædicant! En! *fidei* eidem *deputatur effectus!* Nonne vivis denuo adumbratum coloribus Romani Pontificis Primatum hic intuemur? Certe ſi ad Concilii hujus celeberrimi geſta, vel lævum intendiſſet oculum, nunquam tot con-

 vitiis

vitiis primam sedem proscindere ausus fuisset *Martinus Lutherus*, quot in libello, cui titulus: wider das Pabstumb zu Rom, vom Teuffel gestift, *Wittenb. edit. ann.* 1554. sevomuit. Und, scribit *fol.* 584., solche verdampte Bösewichter (die Päbste) wollen alle Welt bereden, daß sie der Kirchen Haupt, Mutter aller Kirchen, und Maister des Glaubens seyen; so man sie doch an ihren Wercken in aller Welt erkennet, wann wir gleich Stein, und Klöz weren, daß sie verlohrene, verzweyffelte Teuffelskinder, dazu tolle, grobe Esel in der Schrift seynd. Es möcht jemand wol gern fluchen, daß sie der Bliz, und Donner erschlüge, Höllisch Fewer verbrente, Pestilenz, Franzosen, S. Velten, S. Antoni Aussaz, Karbunckel, und alle Plagen hetten. Item post pauca: Die Keyserlichen Rechten sagen vil, de furiosis, von unsinnigen tollen Leuthen, wie man sie halten soll, wie vil grösser Noth were hie, daß man Pabst, und Cardinäl, und den ganzen römischen Stuhl, in Stöcke, Ketten, Kercker legte, die nit auf gemeine Weise rasend worden seyn, sondern so tief grewlich toben, daß sie jezt Männer, jezt Weiber sein wollen, und des keine gewisse Zeit wissen, wann sie die Laun ankommen wird, gleichwol sollen wir Christen glauben, daß solche rasende, und wütende römische Hermaphroditen, den H. Geist haben, und der Christenheit oberste Häupter, Maister, und Lehrer sein mögen; Ita quidem ille; at neque quid amplius honesta mens desiderat. Illud mirum; esse etiam inter Orthodoxos, viros haud mediocri eruditione tinctos, qui ex Synodica Patrum ad *Leonem* Epistola, præter Primatum Romanæ Sedis, nihil norunt eruere! Profecto si centrum sit Papa Ecclesiasticæ unitatis, quæ in unitate fidei ac doctrinæ, potissimum sita est, quidni & centrum Catholicæ fidei, nulli proin circa fidem errori obnoxius? Si porro *Caput*, *Custos*, *Doctor*, & *Rector* sit Generalis Concilii, quod immune est ab errandi periculo, cur non & ipse in fidei negotio irrefragabilis existat, præsertim, quod abolita semel Summi Pontificis infallibilitate, admodum difficile sit Conciliorum Generalium authoritatem infallibilem tueri? præterquam enim, quod affatim obscurum sit, quid ad Concilii Generalis plenitudinem requiratur, manente illa incertitudine, incerta erit ejus in definiendo infallibilitas, neque ab authoritate Nationalis Concilii certo poterit distingui. Vel enim ad Concilii Generalis essentiam requiritur, ut omnes plane totius orbis conveniant Episcopi, vel saltem major eorum, aut etiam minor Pars sufficit, cæteris vocatis quidem, sed comparere nolentibus? Si primum? Nullum fuit hactenus vere Generale Concilium, neque ulla ejus decisio, infallibilis, cum certissime constet, non omnes, ad Concilia illa, quæ Oecumenica censentur, confluxisse Episcopos? Si secundum? neque facile probabitur, majorem orbis episcoporum partem adfuisse. Imo adfuerit etiam major illorum pars, quid inde? Non ideo sane universalem Ecclesiam, numerus ille poterat repræsentare, eo quod jure divino, ut passim placet, Episcopi quique propriam regant, & pascant diœcesin, quibus proin & definitivum competit ferre suffragium in caussis fidei decidendis, quorum vices ab aliis

Episco-

Episcopis suppleri non potuerunt. Sin vero asseratur tertium, adhuc minus apparet, quomodo pars tam exigua totam valeat repræsentare Ecclesiam, aliis majori numero, sapientioribus forte, & sanctioribus, Episcopis absentibus? Sat, dicet *Nonnemo:* tuae ignoras, quod *Angelus a Clavasio, quem Papa Benedictus XIII. in numerum beatorum retulit, in sua summula Angelica* doceat, *Papam in definiendis rebus fidei errare posse, non totam Ecclesiam?* — Novi equidem, imo nuper adhuc in libello quodam, cujus author formulario *Alexandri VII.* subscribere noluit, citatum legi *Angelum.* Quo interim hic sensu, illa scripserit, sat inde constat, quod, dum infallibilem asseruit totam Ecclesiam, Papam excludere non potuerit. Quid quid sit, *Angelo a Clavasio* oppono S. *Bonaventuram*, qui *exposit. in Regul. frat. Minor.* ita loquitur: *Si partibus discordantibus non esset, qui posset manum mittere in ambabus, fuisset Synagoga felicior, quam Ecclesia; quia illa habebat unum Summum Pontificem, qui omnes discordias poterat terminare, ut patet in deuteronomio.* — —

(c) *En!* (sapienter utique, ut putat) hic quidam Neotericus reflectit: *referunt quidem ad Papam, quid circa fidem egerint; sed actorum confirmationem ab eo neutiquam petunt!* — Mira sane reflexio! — Dogmaticæ *Leonis* ad *Flavianum* Epistolæ viritim subscripserant: id, quod jam antea definierat *Leo.* unanimi suffragio communierant, omniaque, quæ Pontifex jusserat, adamussim executi fuere Concilii hujus Patres; quorsum igitur novæ spectet confirmationis petitio? æque inutilis meo judicio, & frustranea fuisset, ac erat illa reflexio.

(d) En! *Canonis disciplinaris confirmationem* rogant a Summo Pontifice *Synodi Chalcedonensis* Episcopi, atque, ut impetrent, dulcissimis *Leonem* demulcent verbis, eumque rem Imperatori, Senatui, & urbi Cpltanæ gratissimam facturum fore monent, imo vero eam gratiam illi tributum iri ut Patri, ad quem egregia filiorum facta redundare solent! Nonne, qui ita agebant, ratum habuere, fixumque, nihil omnino, quod Romani Pontificis assensu, & confirmatione destituitur, roboris aliquid, aut firmitatis nancisci posse, tametsi universalis Synodi communi suffragio constituatur?

§. XXXVI.

At neque, quin *Anatolii* regiæ urbis Episcopi prærogativam suo fulciret patrocinio, deesse voluit *Marcianus* Imp. *Quoniam vero,* ait in suis ad *Leonem* literis, *& hoc sancitum est, quæ* 150. *Episcopi sub divæ memoriæ Theodosio circa honorem venerandæ Ecclesiæ Cpltanæ constituerunt, & hæc sancta Synodus de eodem negotio constituit, constanter debere observari; scilicet ut post Apostolicam Sedem Cpltanus statim Episcopus in secundis consistat, quod splendidissima urbs, nova Roma appelletur, dignetur tua sanctitas etiam hac in parte concinnere, licet religiosissimi Episcopi,*

pi, tuæ pietatis nomine, in sacra Synodo comparentes, contradixerint: nimis enim vehementer impediverunt, ne sancta Synodus aliquid de illa sancta Ecclesia decerneret; speramus autem, cum universi orbis sacerdotes unum atque idem senserint, Romanis rebus divinam providentiam utilia quæque concessuram. Imperatoris precibus & suas adjunxit *Anatolius. Et nos*, inquit, *ut approbationem, confirmationemque consequamur, obsecramus.* (a)

(a) Illud plane in confesso est, jam ante hanc *Synodum Chalcedonensem*, Episcopum Cpltanum favore Imperatorum, & adulatione, simul ac conniventia Episcoporum, qui illius apud Imperatores gratiam ambiebant, jus sibi hoc subinde vindicasse; sed tantum ex consuetudine, non autem ex Canone aliquo Concilii, præsertim Oecumenici, ut adeo vere dici possit, *Canone* 28. hujus Concilii, omnem Patriarchicam dignitatem & potestatem Cpltano Episcopo primum confirmatam esse, a quo pariter eidem Patriarchalis Diœcesis assignatur.

§. XXXVII.

Verum ut relatum probaret *Canonem S. Leo*, neque *Marciani*, neque *Pulcheriæ*, nec *Anatolii*, aut *Patrum Chalcedonensium* submissis precibus flecti potuit; imo potius resistere modis omnibus, validissimisque decretum illud Synodi impugnare rationibus allaboravit. Atque Episcopis quidem, qui in *Synodo Chalcedonensi* congregati erant, *Epist.* 68. ita rescribit: *de custodiendis sanctorum Patrum statutis, quæ in Synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis* 318. *Patribus divinitus inspiratis, sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem, suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus se se instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum, atque irritum erit, quidquid a prædictorum Patrum canonibus discreparit.* Imperatori *Epist.* 78. sic respondit: *multum Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. Habeat sicut optamus, Cpltana civitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno Clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia divinarum: nec præter illam petram, quam dominus in fundamento mire posuit, stabilis erit ulla constructio, sed propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto* (Anatolio) *quod vestræ pietatis auxilio, & mei favoris assensu, Episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, quam Apostolicam non potest facere Sedem; nec ullo speret modo, quod per alio-*

aliorum possit offensiones augeri. Privilegia enim Ecclesiarum, sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Synodi Nicænæ fixa decretis, possunt improbitate convelli, nulla novitate violari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est, me perseverantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicæna, ad totius Ecclesiæ Regimen, spiritu Dei instruente sunt condita, me, quod absit, connivente, violentur; & major sit apud me unius fratris voluntas, quam universæ domus domini, communis utilitas. Eadem ferme repetit *S. Leo Epist.* 79. ad *Pulcheriam. Consensiones Episcoporum*, inquit, *sanctorum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unita nobis fidei vestræ pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli, generali prorsus definitione cassamus, in omnibus ecclesiasticis causis, his legibus obsequentes, quas ad pacificam observantiam omnium sacerdotum, per trecentos decem & octo Antistites, spiritus sanctus instituit; ita ut etiam si multo plures aliud, quam illi statuere, decernant, in nulla reverentia sit habendum, quidquid fuerit a prædictorum constitutione diversum.* (a)

(a) Mirum! Nullitatem *Canonis* 28, ex repugnantia *Canonum Nicænorum* petitam, constanter declarat *S. Leo?* Omnium certe Conciliorum Generalium æqualis est auctoritas; cur igitur *Synodus Chalcedonensis* non potuisset immutare, aut tollere *Canonem disciplinarem*, quem *Synodus Nicæna* condiderat? & nunquid æquum omnino fuisset, *Marciano & Pulcheriæ Augustis*, de fide orthodoxa, totaque Dei Ecclesia optime meritis, hac in re morem gerere, eisque, ut nova, in qua residebant, Roma supra cæteras, seniori Roma excepta, extolleretur ecclesias, concedere? quid ergo *Leonis* incessit animum, ut tanta virium contentione, se se opponeret vexato tantopere canoni? & quid tandem, si rite de quæstione illa, *Nicænis regulis* necdum decisa, quidquam statuisset *Chalcedonensis Synodus?* Nonne tantum aberat, ut *Leo* constitutioni illi, destitutus vitio nullitatis opponendæ, refragatus fuisset, quin potius gestorum Synodalium approbatione, Concilii Sententiæ ex officio adhæsisset? — En! igitur; non illo præcise nomine statuta *Concilii Chalcedonensis* reprobat *Leo*, quasi nullas habitura essent vires, nisi prius illi collibuisset, sed quod vindex esset canonum primatus sui, seu principatus privilegio, quod ipsum tamen ad superiorem in corpus definitionesque Concilii exercendam auctoritatem extendi, & porrigi non debebat — En! Crisin illustrissimi *Petri de Marca*, ut auctoritatem Pontificis infra illam Concilii Oecumenici secundum Gallicanæ Ecclesiæ principia deprimeret.

Meditationum, fatemur, hæc ampla seges est. Urget omni conatu *Canonum Nicænorum* observantiam *S. Leo*, atque in irritum mittit id omne,

omne, quidquid Canoni VI, & VII contrarium ſtatuerat *Synodus Chalcedonenſis*. Et merito quidem; *quæ* enim *contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, ut habet *R.* 64 *J. in* 6 Imo ſi, ubi *ſunt partium jura obſcura, reo favendum* ſit *potius, quam actori*, nonne, cum clariſſima forent, notiſſimaque, atque pacifica tot annorum poſſeſſione firmata, *Alexandrini*, *Aotiocheni*, & *Aeliæ* Episcoporum jura, decuit omnino incomparabilem *Leonem*, ut reſiſtendo *Anatolii* temerariis auſibus, illa ſarta tecta teneret, præſertim quod *locupletari non* debeat *aliquis cum alterius injuria, aut jactura, & indultum a jure beneficium non* ſit *alicui auferendum?* Atque hoc ipſum eſt, quod in ſuis ad Synodum, Auguſtosque Principes literis, toties ipſo dictante rationis lumine, exaggerat, & inculcat S. Pontifex. Unde quanquam *res omnis, per quascunque cauſas naſcitur, per easdem etiam diſſolvi* queat, æquum tamen haud eſt, ut *quod ob gratiam alicujus conceditur, in ejus diſpendium* retorqueatur, neque *mutare Concilium quis poteſt in alterius detrimentum*, nec *quod ſemel placuit, amplius diſplicere poteſt*, aut *prægavari alterius odio aliquis debet.* Hinc neque Auguſtorum offenſam, aut odium ſibi facile conflare, ſua hac agendi ratione poterat fortiſſimus *Leo;* quippe quos latere nequibat, ampliſſimas dignitates illas, alteſatis Episcopis, aſſentiente *Conſtantino M.* fuiſſe aſſertas. *Decet* nempe *conceſſum a principe beneficium eſſe manſurum.* R. 16 J. in 6.

Quid vero, ſi rite de quæſtione illa *Nicænis regulis*, necdum deciſa, quidquam ſtatuiſſet *Chalcedonenſis Synodus*, egiſſet *S. Leo*, diſputent, qui poſſibilibus delectantur. Sufficit: *factum legitime, retractari non* debuit, *licet caſus poſtea* evenerit, *a quo forte non* potuit inchoari. Sedes ſaltem Cpltana, Apoſtolica non erat, ad quod pariter *Leo* reſpexit. Unde licet jus Primatus Pontificii in urgenda præprimis canonum obſervantia poſitum ſit, poteſtatem tamen dominativam vi ejusdem primatus in *Synodum Chalcedonenſem* exercuit, ſeque illa ſuperiorem eſſe ipſo opere demonſtravit laudatiſſimus Pontifex. Enimvero nullo canon ille carniſſet robore, niſi eundem reprobaſſet *Leo.* At quomodo ſuo illum valore potuiſſet deſtituere, ſi majori, quam Oecumenica Synodus, potitus non fuiſſet auctoritate? Agnoſcentes hoc PP. Synodi, ne irritus fieret, quem ſtatuerant, canon, ſupplices rogabant *Leonem.* — —

§. XXXVIII.

Ambitum *Anatolii* graviter *Epiſt.* 80. perſtringit Pontifex. *Doleo*, inquit, *etiam in hoc dilectionem tuam eſſe prolapſam, ut ſacratiſſimas Nicænorum canonum conſtitutiones conaveris infringere: tanquam opportune ſe tibi hoc tempus obtulerit, quod ſecundi honoris privilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit: ut his locis juri tuo ſubditis omnes Metropolitani Epiſcopi proprio*

prio honore privarentur. Quibus inauditis, & nunquam ante tentatis præveniris excessibus, ut sanctam Synodum ad extinguendam solum hæresim, & ad confirmationem fidei Catholicæ studio christianissimi principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, & ut conniventiam suam tibi det, impellas. Tanquam refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo, & illa Nicænorum canonum per spiritum vere sanctum ordinata conditio, in aliqua cuiquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum vel comparare se audeat, vel præferre: cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. In totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Concilio Synodali, ut fratres in fidei tantummodo negotio convocatos, & definitione ejus caussæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad consentiendum sibi, aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres nostri ab Apostolica Sede directi, qui vice mea Synodo præsidebant, probabiliter, atque constanter illicitis ausibus obstiterunt, aperte reclamantes, ne contra instituta Nicæni Concilii, præsumtio reprobæ vanitatis assurgeret Nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in epistola tua etiam ipse conquereris, quod conatibus tuis voluerint obviare. In quo quidem multum illos mihi hæc scribendo commendas, sed temetipsum, quod eis parere nolueris, dum illicita moliris, accusas, superflue non concedenda appetens, & insalubriter tibi contraria concupiscens, quæ nullum unquam poterant nostrum obtinere consensum. (a) Quod porro *Anatolius*, atque Patres, qui *Canonem* 28. condiderant, suum auctoritate *Canonis Cpltani* sub *Theodosio* tuerentur decretum, vim hujus canonis penitus infringere conatur *S. Leo. Persuasioni enim tuæ*, pergit, *in nullo penitus suffragatur, quorundam Episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos conscriptio, nunquamque a prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ sera nunc, & inutilia fulcimenta subjicere voluisti, eliciendo a fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata præberet.* (b) Addit dein: *non convellantur provincialium jura primatuum, nec privilegiis antiquitus institutis Metropolitam fraudentur Antistites.* (c) *Nihil Alexandrinæ Sedis ejus, quam per S. Marcum Evangelistam, B. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis: nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum prædicante B. Apostolo Petro Christianum nomen exor-*

tum

tum est, in paternæ constitutionis ordine perseveret, & in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior. Aliud enim sunt Sedes, aliud præsidentes: & magnus unicuique honor est integritas sua . . . si inconcessa quæsieris, ipse te, tuo opere atque judicio, universalis Ecclesiæ pace privabis. (d)

(a) Quodsi hæc absolutam, supremamque in Synodum etiam Generalem, auctoritatem, non significent, nescio plane, quanam verborum compage, aut agendi methodo clarius illa ostendi queat? Hinc &, quam olim *universitas Coloniensis* ann. 1440, utpote literis seducta *Aeneæ Sylvii, una cum aliis Germaniæ & Galliæ Academiis sustinuit Sententiam, vid. Concilium esse supra Pontificem*, illam postea agnita veritate correxisse invenitur in suis literis anno 1715, die 31 Augusti, ad *Clementem XI.* perscriptis. En! quid jam consilii inspiret, quid *in Epistol. retractatoria* sentiat *Pius II*, longe utique alienum ab eo, quod *Aeneas Sylvius* antea docuerat. *In minoribus*, inquit, *agentes, nondum sacris ordinibus initiati, cum Basileæ inter eos versaremur, qui se Generale Concilium facere, & universalem Ecclesiam repræsentare ajebant, dialogorum quendam libellum ad vos scripsimus, in quo de auctoritate Concilii Generalis, ac de gestis Basileensium, & Eugenii Papæ contradictione, ea probavimus, vel damnavimus, quæ probanda, vel damnanda censuimus. Quantum capiebamus, tantum defendimus, aut oppugnavimus..... declinavimus & nos ab utero matris: erravimus in invio, & non in via: ambulavimus in tenebris, & procul a vera luce recessimus. Nec nobis tantum erravimus, alios quoque in præcipitium traximus, & cæcis ducatum præbentes cæci cum illis in foveam cecidimus. Forsitan & aliquos ex vobis scripta mea decepere, & in devia deduxerunt, quorum sanguinem de manibus nostris requireret Dominus. Non habemus, quod respondere possumus, nisi nos ut homines peccavisse, qui arbitrantes rectum iter ostendere, obliquum monstravimus. In misericordia tantum Dei spes nostra sita est, quæ super omnia opera ejus elucet.* Hæc, ubi resipuit, *in Epist. retractat. ad Colonienses, Aeneas Sylvius*, tum temporis *Pius II.*

(b) Itaque nec tacite hactenus *in Canonem III Cpltanum* consensit Romana Sedes, imo neque consenserunt *Leonis* legati, quidquid demum primum ab illis locum in *Synodo Chalcedonensi* occupaverit *Anatolius* Cpltanus Episcopus.

(c) Duo distincta capita impugnat *S. Leo* in vexato *Canone* 28 *Chalcedonensi.* Unum, quod primarias illas Sedes, *Alexandrinam*, & *Antiochenam* spectabat, quas *Cpltanus* secundum usurpans locum, secundo & tertio gradu spoliare tentabat; alterum ad *Ponticæ, Asianæ*, & *Thracicæ Diœceseon* Metropolitas pertinebat, quorum pariter privilegia invadebat *Anatolius*, dum eorum ordinationem sibi vindicabat, cujus potestas auctoritate antiquorum canonum semper penes uniuscujusque provinciæ Synodum resederat. De his Metropolitis intelliguntur hæc verba *S. Leonis*: *Non convellantur Provincialium jura primatuum.*

(d) En!

(d) En! minatur excommunicationem *Anatolio S. Leo*, nisi ab illicitis ausibus desistat! — Nunquid sic suam Synodo authoritatem prætulit? — Sed nonne simul *Irenæus* aliquis, quemadmodum *Victorem*, ita & *Leonem* his minis armatum, salvo ejus primatu, recte increpuisset? — minime gentium; imo potius Apostolicum incomparabilis viri zelum suo calculo probasset *Irenæus*.

§. XXXIX.

Objurganti *S. Leoni* rescripsit *Anatolius*. *De his autem*, inquit, *quæ Cpltanæ gratia Sedis sancita sunt in Chalcedonensi nuper universali Synodo, pro certo beatitudo vestra hoc habeat, nullam esse culpam in me, qui semper otium, & quietem, in humilitate me continens, ab incunte mea ætate dilexerim; sed Cpltanæ Ecclesiæ reverendissimus clerus est, qui hoc habuit studium, & istarum partium religiosissimi sacerdotes, qui in hoc fuere concordes, & sibi pariter adjutores. Cum & sic gestorum vis omnis, & confirmatio auctoritati vestræ beatitudinis fuerit reservata.* (a) *Hoc igitur bene compertum sanctitas vestra cognoscat, nihil ex me istius caussa factum esse negotii, qui semper omnem jactantiæ levitatem, & aliena appetendi cupiditatem, mihi vitandam crediderim. Anatolio* se purganti, *Epist.* 106. *S. Leo* hunc in modum respondit: *illam culpam, quam de augenda potestate, aliena, ut asseris, adhortatione contraxeras, efficacius, atque sincerius tua charitas diluisset, si, quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola clericorum consilia transtulisses ..... sed gratum mihi frater charissime! est, quod dilectio tua id profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regressum, professio dilectionis tuæ, & attestatio principis christiani* (b)

(a) En! quid de Potestate Papæ senserit *Anatolius*! Non Synodi universalis authoritatem exaggerat, aut decretum urget; non fastum damnat *Leonis* supra Concilium se se efferentis, neque ab illius sententia ad futurum quoddam Generale Concilium provocat, sed *gestorum vim omnem, & confirmationem auctoritati* Apostolicæ Sedis *reservatam fuisse*, profitetur, luculento satis indicio, quod majorem esse Romani Pontificis, quam Synodi Oecumenicæ, authoritatem, persuasum habuerit. Cur enim tam cito cervicem flexit, humilique prece a se culpam amoliri studuit *Anatolius*, non levi, ut videri posset, asperfus infamia, aut oneratus injuria, quod ex Synodi decreto, insigni cumulatus prærogativa. adversantem sibi tantopere expertus fuerit *Leonem?* — Nonne appellasse ad sublimius tribunal oportuisset Cpltanum Episcopum, pro quo ipsa caussæ justitia perorare visa est? — Appellarunt profecto *Ludovicus Bavarus*, *Michael de Cæsena* *Philippus pulcher*, Academia parisiensis a literis *Pauli II* pragmaticam

 sanctio-

ſanctionem reſcindentis; igitur appellare fas eſt. — Appellatum nonnunquam eſſe a Papa, ad futurum Concilium, inſiciari quidem non poſſumus; *Non* enim *modo quærimus, utrum ſit factum, ſed utrum fuerit faciendum. Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda eſt, cui quidem & exempla concordant, ſed illa, quæ tanto digniora ſunt imitatione, quanto excellentiora pietate. Non fecerunt Patriarchæ, non Prophetæ, non Apoſtoli.* Reſpondet ſic *S. Auguſtinus L.* 1. *de Civit. Dei C.* 23.

Hoc certe non fecit *Polycrates Epheſiorum* cum totius Aſiæ Episcopis in cauſſa de die paſchatis, neque hoc ei conſilium ſuggeſſit *S. Irenæus Lugdunenſis* Ep., *S. Polycarpi* diſcipulus, contra *Victorem* Papam, qui excommunicare *Polycraten*, aliosque minabatur, niſi ab avita ſua conſuetudine recederent; hoc non fecit *S. Cyprianus* cum ſuis Cœpiscopis Africanis: hoc auſus non eſt *Firmilianus* cum Aſiaticis, ſub ſimili interminatione coarctati, putantes ſe juſtam habere cauſſam, & conſuetudinem: Hoc auſus non eſt *S. Auguſtinus* in cauſſa *Episcopi Fuſſalenſis* judicio Africano ſuſpenſi, qui ad *Cœleſtinum* Papam appellaverat, & per vim ſuæ Sedi reſtituendus jactabatur: Hoc non fecit *S. Hilarius Arelatenſis* Ep., in magno cum *Leone M.* conflictu conſtitutus, licet gravem pati injuriam crederetur *Hilarius*, nec cenſurarum minas evaderet. Et tamen acquiescere maluit *Hilarius*, quam marte haud æquo pugnare, & appellationis ad Concilium Generale uti ſubſidio.

Uberem fuiſſe prædictis Patribus, appellandi a Papa ad Concilium Generale cauſſam, ſi tali jure gaudebant, nemo facile erit, qui neget. *Polycrates* certe conſuetudinem tuebatur in Aſia a *Joanne* Apoſtolo cœptam, circa paſcha luna 14 celebrandum, uſque tunc obſervatam Prædeceſſores *Victoris* Papæ, nullam hac ſuper re, *Irenæo* teſte, Aſiaticis moverant quæſtionem; Res erat ſolius diſciplinæ, atque ſeu luna 14, ſeu dominica die, ageretur paſcha, conſiſtebat ſalva juris divini regula. Variæ inſuper eſſe poſſunt conſuetudines, ſicut & ritus varii in unitate fidei, & Eccleſiæ, quæ eſt regina circumamicta varietatibus. Ritus Græcorum, circa panem fermentatum, non eſt abolitus, licet latini non niſi azymo pane uti poſſint in Miſſæ ſacrificio. Poterat ergo *Polycrati*, aliisque Aſiæ Episcopis, probabilis videri appellandi ratio, ſi jus appellandi revera illis competeret, maxime ubi *Victor* Papa per cenſurarum minas ab avita conſuetudine eos recedere compellebat. Accedit, quod ipſemet *Irenæus Lugdunenſis* Ep., licet obſervaret morem communem circa paſcha dominicum, improbaverit modum procedendi *Victoris* Papæ, eumque dehortatus ſit a cenſurarum executione. Cur ergo *Polycrates* cum ſuis ad judicium, ſive ad Concilium Generale, ſuo tempore opportuno, pro tali cauſſa discutienda, celebrandum non appellavit, cum periculum eſſet contrahendæ excommunicationis, & ſeparationis totius Aſiæ, niſi appellaretur? Cur etiam *S. Irenæus* conſilium appellandi ad univerſale Concilium, tanquam tutius, non injecit menti *Polycratis*? Cur hoc duntaxat egit, ut *Victoris* emol-

emolliret judicium, cum certior via ſuppeteret totam Aſiam a ſeparationis periculo liberandi?

Controverſia de Baptismo hæreticorum, mota inter *Cyprianum* & *Stephanum*, admodum obſcura erat, dum ſola opponebatur, & non afferebatur conſuetudo; & longe ſolidius probari potuiſſet per univerſalis Concilii Episcopos, quam per Rom. Pontificem, ſi vel ejus judicium reformabile ſit, vel major Concilii Authoritas. Contentio interim adeo inferbuit, ut teſte *Auguſtino* diviſionis periculum creaverit. Cur ergo ob cauſſas adeo momentoſas *Africani Episcopi cum Cypriano*, & *Aſiatici cum Firmiliano* ad appellationis remedia non confugerunt, ſi appellare de jure potuerunt?

Urgens pariter videbatur fuiſſe cauſſa appellandi ad Concilium Generale, dum periculum erat reſtitutionis *Episcopi Fuſſallenſis*, per Africanos Episcopos episcopali miniſterio privati, qui Romam appellaverat, & jam per vim in integrum reſtituendus timebatur. Quorſum enim omnes illæ anguſtiæ, timores, & mœrores exitiales, quos paſſum ſe idcirco eſſe, *Epiſt.* 209. ad *Cœleſtinum P.*, *S. Auguſtinus* memorat, cordi magni illius athletæ, ſi appellationis præſidio poterat omnia iſta mala, & ſcandala a membris Chriſti avertere? Quorſum & ipſa paſtoralis ſollicitudinis tam humilis abjectio, ſi *Antonii Fuſſallenſis* juſtiſſimam exauctorationem a ſe aliisque Episcopis factam poterat de jure tueri, contra appellatum a Reo, papale judicium? Quorſum & tantæ preces pro miſericordi juſtitia a Romano Pontifice obtinenda, ſi jus dicere finali ſententia, ad ipſum ſolum non pertinebat? Non enim eſſet virile pectus, quod in procinctu ruinæ, arma juſtitiæ abjiceret, & neceſſaria appellationis præſidia, pro ſalute membrorum Chriſti interponere negligeret. En! quid *Cœleſtino Auguſtinus* perſcripſerit? *judicia*, inquit, *& publicas poteſtates, & militares impetus, tanquam executuros Apoſtolicæ Sedis Sententiam, ſive ipſe, ſive rumores ipſi creberrimi comminantur, ut miſeri homines chriſtiani catholici, graviora formident a catholico Episcopo, quam cum eſſent hæretici, a catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non ſinas iſta fieri, obſecro te per Chriſti ſanguinem, per Apoſtoli Petri memoriam, qui chriſtianorum præpoſitos monuit, ne violenter dominentur inter fratres. Me in iſto periculo tantus timor & mœror excruciat, ut ab officio cogitem gerendi episcopatum abscedere.... Si autem & membra Chriſti, quæ in illa regione ſunt, ab exitiali timore, & triſtitia recreaveris, & meam ſenectutem hac miſericordi juſtitia fueris conſolatus, retribuet tibi & in præſenti, & in futura vita, qui per te nobis in iſta tribulatione ſuccurrit, & qui te in illa ſede conſtituit.* Hæc *Auguſtinus*.

Controverſia quoque inter *Leonem M.*, & *S. Hilarium Arelatenſem* Ep., non levis momenti fuit. Quamvis enim *Celidonius* per *Hilarium* exauctoratus, legitime ſit reſtitutus a *Leone*, eoquod probatum fuerit per teſtes, *Celidonium*, tempore, quo episcopatum adiit, impedimento bigamiæ non laboraſſe, reſtabat tamen & alia lis de privilegio Sedis *Arela-*

tenſis

tensis, ejusque juribus, quæ *S. Hilario* passim vindicant scriptores Galli. Quidni ergo tunc non leniter tractatus a *Leone*, & se gravatum ratus, pro jure suæ Ecclesiæ S. *Hilarius* ad altius tribunal appellare potuisset, si jus tale appellandi a judicio Papæ, per quem fuerat condemnatus, agnovisset?

Pelagianos quidem appellasse constat, nec tamen ideo audientiam consecuti, imo potius ad pœnitentiam compulsi sunt. Enimvero ob similes appellationes nullum unquam Generale Concilium celebratum legitur, ut viris subinde summis jus diceretur. Neque legimus appellationes ejusmodi suo fine, & effectu potitas esse, quod sane mirandum foret, si jus appellandi revera competiisset appellantibus. Sic & *Clemens V.* Successor *Bonifacii VIII*, licet rem moderatus fuerit cum *Philippo pulchro*, eidemque adhærentibus, equidem non censuit censuras a *Bonifacio* latas fuisse irritas, aut per appellationes interpositas, sufflaminatas, sed potius supposuit eas esse validas, cum Regem, aliosque ab illis absolveret.

(b) Jure sibi delato cessisse tandem *Anatolium*, colligi videtur ex hac *S. Leonis* Epistola. Verum si ex *Anatolii* literis *S. Leo* intellexerit, ipsum concessis a Synodo prærogativis cessisse, illius mentem satis assecutus non esi. Id enim unum pro certo haberi voluit a *S. Leone*, *Canonem* nempe 28. *Synodi Chalcedonensis*, absque sua culpa conditum esse, seque semper ab alienis appetendis fuisse remotissimum. Confirmatur hoc ex promissis *Anatolii*, qui, cum correctionem pollicitus sit per literas *Marciani*, quem apud *S. Leonem* intercessorem adhibuit, satisfactionem solum in rebus fidei promisit, quemadmodum ipse testatur *S. Leo Epist.* 100. ad *Julianum Coensem* data. *Aliam quoque*, inquit, *ad nos epistolam dedit* (Marcianus) *interveniens pro Anatolio Episcopo, ut nostri illi animi gratia præbeatur, cuoniam correctionem ejus promittit, & in omnibus se satisfacturum esse, quæ ad fidei observantiam pertinent, pollicetur.*

Tanta porro arte conscripta est *Anatolii* ad *Leonem* epistola, ut in speciem Pontificis querelis satisfaciat, revera tamen nihil remittat de juribus suis *Anatolius*. Et certe ita fixum apud se habebant Orientales Episcopi, a decreto suo in gratiam Cpltanæ Sedis condito, nunquam resilire, ut, cum epistola *S. Leonis*, qua acta *Synodi Chalcedonensis* firmabat, lecta esset a *Juliano Coensi* in Cpltano Episcoporum Conventu, ausus non sit ea verba legere, quibus consensum suum *S. Leo* renuebat adjicere præfato Synodi decreto Compertum id habemus ex *Epist.* 100. *S. Leonis* ad *Julianum Coensem* data. *Epistolam sane meam*, inquit Pontifex, *ad Chalcedonensem Synodum datam, præsentibus Episcopis, & Clericis lectam fuisse, tuis epistolis retulisti: sed usque ad illud Capitulum, quo ea, quæ de fide acta sunt, meus videtur firmasse consensus. Unde miratus sum, quod reliqua, quæ secuta fuerunt, non pariter in notitiam eorum, quibus sunt lecta, prolata sint: Cum maxime omnibus innotescere debuisset, improbum a nobis ambitum notatum fuisse, & novis usurpationibus obviatum, ut vetustas, quæ est Canonibus constituta, inviolata, ut semper scripsimus, servaretur.*

Expunctus quidem fuit ex codice canonum Ecclesiæ orientalis, *Canon ille Chalcedonensis* 28, in gratiam scilicet *S. Leonis*, & ad concordiam inter Ecclesias sanciendam; honorem tamen secundæ sedis, & administrationem *Asiæ*, *Ponti*, & *Thraciæ Diœceseon* semper retinuit *Anatolius*, partim vigore *Canonis* 3. *Cpltani*, partim vigore *consuetudinis*, quæ ante editum hunc canonem obtinebat. Unde & *Zeno* Imp., dum consessus prærogativam, ordinationumque privilegia Ecclesiæ Cpltanæ in perpetuum sancit, ad usum duntaxat, non autem ad canones aliquos, illa privilegia refert *L.* 16. *Cod. de SS. Eccles. Justinianus* etiam *Novell.* 123. *C.* 2. honorem secundæ sedis tribuit Episcopo Cpltano, nulla novi hujus canonis facta mentione. Atque hoc ipsum est, quod significare voluit *Liberatus in Breviar. C.* 13.. Loquens enim de hoc canone ait: *Et licet Sedes Apostolica nunc usque contradicat, quod a Synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet quoque modo*, vel ut alia habet lectio, *quodam modo. Id est*, ait illustr. *de Marca L.* 3. *de Concord. Sacerd. & Imper. Cap.* 355, *refragationem Romanorum Pontificum obtinuisse quidem ut aperte definitio Chalcedonensis non admittatur, cæterum rem ipsam quodammodo perseverare præsidio Principis, qui consuetudini vires addebat.* vid. *B. Z. van Espen Commentar. in Canon. Tom.* 3. *edit. Colon. de ann.* 1777. *fol.* 264. Vicit itaque vel hoc modo *Leonis* authoritas, fregitque Episcoporum pertinaciam, qui canonis a Pontifice reprobati valorem tueri conabantur.

§. XL.

Pertinax hæc *S. Leonis* repugnantia, qua *Canonem* 28*vum* constanter reprobavit, *Eutychianis* in Oriente occasio fuit, ut dogmaticam *Concilii Chalcedonensis* definitionem respuerent, hoc ducti motivo, quod Rom. Pontificis consensu destitura foret. Monuit hac de re *S. Leonem*, *Marcianus* Imp, rogans: *literas mittere dignaberis, per quas omnibus Ecclesiis manifestum fiat, in sancta Synodo peracta, a te rata haberi. . . Cum nondum affirmaveris, catholicæ, & orthodoxæ fidei, Chalcedonensem Synodum, omnibus consentientibus Episcopis, esse obsecutam; hinc decretum celerrime emittas, quo te confirmare Chalcedonensem Synodum manifestissime ostendas, ut ii, qui exoptant invia diverticula, nullam possint habere suspicionem de judicio tuæ sanctitatis.* (a) Quapropter, ut Imperatoris precibus annueret S. Pontifex, literas misit ad omnes, qui in *Chalcedonnsie Synodo* congregati erant, Episcopos. *Ne*, scribit, *per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum, quæ in Synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem; hic ad omnes Episcopos, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, ut & fraterna universitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres, qui vicem*

meam

meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium, propriam vobiscum uniisse sententiam. De custodiendis Synodi Nicænæ decretis vos admoneo, ut jura ecclesiarum, sicut ab illis trecentis decem & octo Patribus divinitus inspiratis, sunt ordinata, permaneant. (b)

(a) En! iterum necessitatem, vim, & effectum confirmationis Papalis! Non credunt homines definitionem universalis Synodi ad authoritatem dogmatis posse assurgere, nisi rata habeatur a Summo Pontifice, ejusque consensu firmetur. Non igitur *Vim quandam mere externam testimonii, & promulgationis*, sonat confirmatio Pontificia, sed ad intrinseca spectat Concilii. — Examina etiam, an non & sic irreformabile agnoverint *Eutychiani*, *S. Leonis* in caussa fidei, judicium, majoremque illius, quam Synodi Oecumenicæ authoritatem?

(b) Evidenter alludit *S. Leo* ad *Canones VI. & VII. Concilii Nicæni*, qui *Alexandrinum*, *Antiochenum*, & *Aeliæ* Episcopos jubent honorari.

§. XLI.

Ut occidentalium etiam Episcoporum consensu, sua ad *Flavianum* epistola probaretur, misit ejusdem exemplaria *S. Leo* ad Galliarum Antistites. Convenientes hi in Gallia Narbonensi, synodicas ad *Leonem* dedere literas, queis se ejus epistolam suscepisse testantur. *Exultavimus*, ajunt, *Christo propitio, lectis beatitudinis vestræ literis, & omni instructione patefacta, omnes intra Gallias constitutos, exultare mox fecimus. . . . Quæ Apostolatus vestri scripta, ita ut Symbolum fidei, quisquis redemtionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit, & tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit. Multi itaque in ea gaudentes pariter & exultantes, recognoverunt fidei suæ sensum, & ita se semper ex traditione paterna tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, jure lætantur.* (a) . . . *Doctrinæ post Deum vestræ debet quisque fidelis, ut constanter teneat, quod credebat: debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat, & Apostolicæ institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur & credat, quod per os vestrum D. N. J. C. de sacramento Incarnationis suæ docet, quam id teneat, quod diabolus humanæ salutis, & veritatis inimicus instillat.* (b) Galliarum Episcopos de felici *Concilii Chalcedonensis* exitu certiores pariter fecit *S. Leo. Quæ*, inquit, *diabolicorum sensuum prodigiosa commenta, sancta nunc Synodus, humilitatis nostræ scriptis, auctoritate Domini mei, beatissimi Petri Apostoli & merito roboratis, religiosa unanimitate consentiens, abominandum hoc ab Ecclesia Dei amputavit opprobrium.* Cura *Ceretii* Galliæ Episcopi ad *Eusebium*

bium Mediolanenſem Ep delata ſimul fuit *S. Leonis* epiſtola. Congregata ille Synodo Italicæ diœceſeos, illam cum Coepiſcopis ſuis ad traditionem expendit, eique ſolemni ritu ſubſcripſit. (c)

(a) Huc procul dubio alluſit *Em. Card. de Noailles* in ſuis ann. 1711 ad *Clementem XI.* literis. " Non ſibi, *ait*, arrogavit Clerus, ut ſanctiones pon-" tificias examini ſuo judicandas ſubjiceret, ſed in ipſis, quod olim ſcri-" bebant *Leoni M.* Episcopi Gallicani ,,. *Gaudens, & exultans fidei ſuæ ſenſum recognovit, & ita ſe ſemper tenuiſſe, ut veſter Apoſtolatus expoſuit, jure lætus eſt.*

(b) An verbis magis magnificis potuiſſent Episcopi illi, Rom. Pontificis Eccleſiam docentis infallibilitatem exprimere? Perſimile quid de eadem celeberrima *S. Leonis* ad *Flavianum* Epiſtola ſcripſerunt *Ceretius*, *Salonius*, & *Veranus* Galliæ itidem Episcopi, ſanam ejus, ſanctamque fidem, altefato Pontifici gratulati. *Magna*, ajunt, *& ineffabili quadam nos peculiares tui gratulatione ſuccrescimus, quod illa ſpecialis doctrinæ veſtræ pagina, ita per omnium Eccleſiarum conventicula celebratur, ut vere conſona omnium ſententia declaretur, merito illic principatum Apoſtolicæ Sedis conſtitutum, unde adhuc Apoſtolici ſpiritus oracula referentur.* Neque minori reverentia eandem in Apoſtolica *Petri* Sede, authoritatem recognoscunt triginta Gallicanæ Eccleſiæ Antiſtites, irreformabile *Innocentii X.* in cauſſa fidei judicium, ſuis in literis 19. Jul. ann. 1653., confitentes, *Non ſolum ex Chriſti Domini noſtri pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adverſus Apollinarium, & Macedonium nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, a Damaſo paulo ante factis, judicia pro ſancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata ſuper Episcoporum conſultatione (ſive ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit) divina æque ac ſumma per univerſam Eccleſiam authoritate niti, cui chriſtiani omnes ex officio, ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur.* Ita illi. — Sed quis his perpenſis Cleri Gallicani inconſtantiam non miretur? — —

(c) En! *Mediolanenſis Provinciæ* Episcopi epiſtolam *S. Leonis* non ſuſceperunt, ac tequam ad Scripturæ ſacræ, & traditionis regulas eam expendiſſent! — An forte Synodus hæc Diœceſana majori pollebat authoritate, qua de Romani Pontificis definitionibus, in Synodo etiam Oecumenica ſuſceptis, poſſet cognoſcere? — Advertte igitur, quod non ſemper ſuperioris auctoritatis indicium ſit, quidquam ad examen revocare, & poſt habitum examen approbare. — Patres certe *Concilii Toletani XIV. Canone 2*, & 3 profitentur, ſe acta *Sextæ Synodi* cum præcedentibus comparaſſe, & ideo ſuum iis addidiſſe conſenſum; ſed nunquid ideo examinanda duxerunt acta illa Toletani Patres, quod ſuperiores ſe crederent Synodo Oecumenica, quam ipſe Pontifex ſuſceperat? — Si demum *PP.*

Cha-

Chalcedonensium consulantur subscriptiones, quæ *Act.* 4. habentur, inveniemus, quod, velut cæteri Episcopi, ita & *S. Leonis* legati, ejus epistolam dogmaticam receperint, ut consonam prioribus Conciliis Ecclesiæ. Quemadmodum autem certum est, quod eam non receperint præcise ex antecedentium auctoritate Conciliorum, sed quia Sedis Apostolicæ definitionem continebat, sic & credere fas est præstitisse alios, quamvis ad præcedentes Conciliorum definitiones eam contulerint; eo vel maxime, quod ante omne examen universa ferme Synodus protestata fuerit, se ita credere, sicut in *Leonis* epistola definitum erat. — Examen ergo deserviebat ad majorem dictorum intelligentiam, non, quod de iis, quæ Pontifex jam ante definierat, fas foret dubitare.

Tantum.

POSITIONES

EX JURE ECCLESIASTICO PUBLICO,

STATUI GERMANIÆ ACCOMMODATO

1. Concordata Germaniæ ſunt pactum ſolemne primitus inter *Eugenium* IV., & hoc mortuo inter *Nicolaum* V., Ss. Pontifices ex una, & inter *Fridericum* III. Imp., aliosque Germaniæ Principes ex altera parte, de dignitatibus, beneficiis eccleſiaſticis, & annatis, pro communi Eccleſiarum, & Imperii Germanici pace, maxime vero pro veneratione Sedis Apoſtolicæ, *Francofurti* Ann. 1446. cœptum, & *Aſchaffenburgi* Ann. 1448. conſummatum.

2. Ex quo itaque concordata noſtra ſunt pactum publicum, communi Sedis Apoſtolicæ, & teutonicæ nationis nomine initum, rite conſequitur, omnes Germaniæ, & Imperio ſubjectas Eccleſias, concordatis per ſe obligari.

3. At præter reſervationes Pontificias in concordatis expreſſas, nullæ aliæ locum habent. Neque ſemper vacant, & reſervata ſunt beneficia prius habita, quando quis auctoritate Apoſtolica promovetur ad Epiſcopatum, dignitatem, aut aliud beneficium. Imo ut in caſu translationis interveniat reſervatio, requiritur, ut translatus novam ſuam promotionem unice Pontifici acceptam referre debeat.

4. Principaliores Germaniæ Eccleſias etiam primis poſt ſancita concordata temporibus, §*phum IV.* eorundem concordatorum, in quo de præpoſituris reſervatis agitur, in favorem Sedis Apoſtolicæ intellexiſſe, authentica nos docent exempla, quidquid demum ſit de verborum ſyntaxi, & congrua diſpoſitione *commatum* dicti §*phi.*

5. Attamen reſervata non ſunt illa beneficia, quæ per confirmationem, vel aliam proviſionem Pontificiam, promoti ad Epiſcopatum retinent ex diſpenſatione Papæ. Imo neque reſervata ſunt ejusmodi beneficia, poſtea per obitum diſpenſati vacatura.

6. Electus in Epiſcopum, ſi necdum ſit confirmatus, reſignare poteſt ſua beneficia, ad manus capituli, atque hoc illa libere conferre. Non tamen, ſi jam ſit confirmatus.

7. Alternativæ menſium ſubſunt omnia beneficia proprie, & ſtricte dicta, niſi excepta ſint, aut jam aliunde Pontifici reſervata. Hinc alternativæ obnoxia non ſunt beneficia juri patronatus laico

ſubjecta, neque illa, quæ vacant per reſignationem permutationis cauſſa, aut abſolute factam in manibus ordinarii.

8. Mors canonici deprehenſa poſt mediam noctem ultimi decembris, collationem aperire videtur Papæ; in ſimili vero caſu ultimi januarii, ordinario collatori.

9. Quodſi intra tres menſes a die notæ vacationis non apparuerit in loco beneficii, quod alicui de illo Apoſtolica authoritate proviſum fuerit, ex tenore concordatorum de illo diſponit ordinarius. Imo etiam collatio redit probabiliter ad ordinarium, licet Papa intra trimeſtre faciat proviſionem, quæ tamen ſit invalida.

10. Clauſula in concordatis retenta: *niſi ex rationabili, & evidenti cauſſa, ac de dictorum fratrum* (Cardinalium) *Conſilio de digniori & utiliori perſona duxerimus providendum*, debite intellecta, libertati electionum, nil infert præjudicii.

11. Solet Pontifex jus ſuum conferendi beneficia vacantia menſibus papalibus, exercere in Germania per Archiepiscopos indultarios. Cum autem *nemo* poſſit, aut prudenter velit *plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur*, *R.* 79. *J. in* 6., cumque *in generali conceſſione non veniant ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus*, *R.* 81. *ibid.*, unica facultatis illius exercendæ norma, eſt Pontificis ſeu voluntas, ſeu poteſtas: ex quo fluunt varia corollaria.

12. Unde 1*mo* nequeunt Emmi. Archiepiſcopi indultarii conferre *dignitates majores & principales*. *Ratio eſt*, quia has expreſſe Pontifex vult eſſe exceptas in favorem Sedis Apoſtolicæ, adeo quidem, ut in conferendis ejusmodi præpoſituris reflectere non teneatur ad ullam præſentationem ſibi propoſitam, aut proponendam.

13. Conferri 2*do* ab iis non poſſunt dignitates in prædictis menſibus vacaturæ, ad quas aſſumi hactenus per electionem canonicam conſueverunt canonici. *Ratio eſt*, quod in textu concordatorum, ubi menſes ſic dicti Papales, reſervantur Pontifici, ſola fiat mentio vacantis beneficii, non vero dignitatum; conſequens igitur eſt, dignitatem reſervatam non eſſe: id quod de iis, quæ electioni obnoxiæ ſunt, pronius eſt intelligere.

14. Neque 3*tio* conferri poſſunt beneficia juri patronatus laico ſubjecta, ſive curata illa fuerint, ſive non curata. *Ratio eſt*, quia nec ipſe Pontifex vacantia menſe ſuo, ejusmodi beneficia confert neque alternativæ menſium ullo modo ſubſunt illa.

15. Neque 4*to* Emmi. indultarii conferre poſſunt vacantes menſe

Papal

Papali Parochias, nonnisi in commendam, ut vocant, temporalem collatas. *Ratio est*, quia vim ac nomen veri beneficii ecclesiastici non habent.

16. Similiter nec *sto* conferre possunt Ecclesias Parochiales, Ecclesiis Collegiatis, ac Monasteriis incorporatas, si ex continua praxi, & observantia, alternativæ mensium nunquam fuerint obnoxiæ. *Ratio est*, quia tunc jure merito opponitur præscriptio temporis immemorialis, quæ sicut derogare potest ipsismet concordatis, ita & juri quæsito ex concordatis. Quin imo actu jam præscripsisse Rom. Pontificem in favorem Sedis suæ, contra veram concordatorum mentem, certum videtur.

17. Sede Romana vacante, beneficia mense Papali vacatura, conferunt capitula. Quod autem Emmi. indultarii in Germania non arctentur fatali trimestris, nec noceat ipsis, si citra eorum culpam iis ignorantibus, fuisset facta collatio, subjecto laboranti defectu occulto invaliditatem post se trahente, mere per accidens est, ut consideranti facile patet.

18. Investitura Ecclesiastica, est consensus ab Imperatore, vel Rege adhibitus electioni factæ alicujus ad Episcopatum, vel Abbatiam, & concessio bonorum ecclesiasticorum, solemni quodam ritu facta. Origo illius fuit munificentia Principum erga Ecclesias, queis non modo prædia, & latifundia, sed & feuda Majestati suæ obnoxia concesserunt.

19. Investiturarum usum *per annulum & baculum*, quamvis tantisper toleraverit, jure merito prohibuit Ecclesia, quando ad opprimendam sacrarum electionum libertatem, & ad sacrilegam Episcopatuum, Abbatiarumque nundinationem, investituris abutebantur germaniæ Reges.

20. Primus investituras ejusmodi in frequentibus Synodis damnavit *Gregorius VII.*, ejusque decreta confirmarunt *Victor III.*, & *Urbanus II.*, in Synodis *Beneventana*, & *Milfitana*. Privilegium autem investiturarum, quod contra canones, & prædecessorum Pontificum decreta, a *Paschali II.*, *Henricus V.* extorserat, damnarunt Ecclesiæ, *Romana*, & *Gallicana*, atque ipsusmet postea rescidit *Paschalis II.*, in duabus Synodis *Romæ* celebratis, generositate magnanima, se hominem confessus.

21. Controversia tandem hæc, quæ tamdiu vexavit Ecclesiam, composita fuit in *Concilio Lateranensi I.*, Oecumenico IX., inte· *Calixtum*

lixtum II., & *Henricum V.* Imperatorem. Hic investituras *per annulum & baculum* dimisit, & canonicas electiones libere fieri permisit. Ecclesia concessit; ut sacræ electiones præsente Imperatore fierent, electus vero regalia ab ejus Majestate *per Sceptrum* reciperet. Hinc famosum illud *pactum Calixtinum*, quod *concordatorum Germaniæ* quasi fons est, & origo.

22. *Jus regaliæ*, est jus regium, fruendi omnibus proventibus vacantis Ecclesiæ, & conferendi pleno jure omnia beneficia, quæ ab Episcopo conferri solent, quousque novus Episcopus præstiterit juramentum fidelitatis, acceperit possessionem, aliaque absolverit, quæ ad regaliæ clausuram requiruntur. Naturæ feudorum jus illud, suam originem debet. Cessavit dudum in Germania; viget etiamnum in Gallia. Quo jure? disputent galli pragmatici.

O. A. M. D. G.

TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19


Inches
Centimeters
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black